Duplicato

Visto li 22 Apr. 1703

E. f. 75.
E
f:75.
E E f6

DE BAPTISMATE
PASCHALI ET ORIGINE
AC RITV CONSECRANDI
AGNOS DEI

LIBER

Ex Onuphrij Panuinij Veron̄en.
Fratris Eremitæ Auguſtiniani
Commentarijs

In hiſtoriam Eccleſiaſticam excerptus:

Cum Corollariis Ióſephi Mariæ Suareſij
Epiſcopi Vaſionenſis

AD

ALEXANDRVM VII

PONT. OPT. MAX.

ALESSANDRINA



ROMAE,

Typis Angeli Bernabo 1656. Superiorum permiſſu

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO ALEXANDRO VII PONT. MAX.

Ioſephus Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis pedum oſcula beatorum.

BEATISSIME PATER

DIVINITVS *in throno Pontificio collocata S.V. tã prȩclaris virtutum luminibus vniuerſum terrarum orbem veluti ſalutare ſidus irradiat, vt eorum perſtrictus iubare ſatis admirari nequeam in medijs aceruis occupationum difficillimis iſtis temporibus ingruentium ſolicitudinem indefeſſam, & prouidentiam ſingularem, cum ad cultum Dei propagandum, tum ad ſacra procuranda honorificè, ex inſtituto, atque vetere diſciplina. Sic ponis animam tuam pro tuis ouibus; ſic diligis decorem domus Domini; ſic magnifice tractas*

ſapientiam. Ne verò pias & aſſiduas haſce curas percenſeam ſigillatim (hoc enim opus eſſet iuſtæ hiſtoriæ) obſtupui ſanè vehementer, meque detinuit attonitum ſeria & grauis Maieſtas, quam innata comitate ac humanitate condire viſus es, memorabili exemplo, rariſsimaque miſtura, quando certiſsimas gratiæ cæleſtis teſſeras, & præſentiſsima contra hoſtiũ inſidias amuleta, cereos nempe orbiculos conſecratos rite, ac more maiorum nudiustertius Clero populoque dilargitus es. Sed quia huius ſacri ritus initia inumbrata erant æui caligine, vitioque temporum, ſuperiori ſęculo antiquitatis quà profanæ quà Eccleſiaſticæ vindex acerrimus Onuphrius Panuinius ea patefecit Opuſculo erudito prorſus ac diſerto. Verum eius vnum aut alterum ſupererat hic exemplum. Ante annos itaque XXVI. me nauante operam, ne labor immortalitate digniſsimus intercideret, lucubratiuncula tam nobilis, adaucta Corollario typis recuſa lucem rurſus aſpexit. Cum autem nunc quoque animaduerterim repetitam editionem exhauſtam, utq; prioris, ita poſterioris maximam eſſe in Vrbe

pe-

penuriam, libellum iſtum auſpicijs S.tis V.æ tertium proferre in publicum, attexto altero Corollario aggredior: auſimque mihi confidenter polliceri, non ingratum, nec iniucundum fore S.ti V.æ meum conatum: quandoquidem ipſa mihi nuper eum indicanti adeò benignè annuit, & me, commentationeſque meas placidis oculis, & renidenti vultu excipere, atque intueri ſemper conſueuit. Liquidò conſtat flagrare S.tem V.am zelo reuocandi gentes aberrantes ad Eccleſiæ Romanæ ſinum, à quo fraudibus atque technis Hæreſiarcharum iamdudum fuerunt abſtractę: eas autem, quæ tanquam ſub alio cælo natæ vix nouerunt pulcherrimam rerum Romam, aduocandi deſideriò æſtuare, votisque S.tis V.æ fauere manifeſtè Numen, vberrima, & ad meſſem albâ ſegete illis affatim reſpondente. At vſu quotidiano comprobatur, ſacrarum ceremoniarum nitore ac ſplendore potiſſimum percelli, ſuauiſſimeq; attrahi mortalium animos, cum illas vti religionis ſepes a Chriſto Domino circum Eccleſię floreſcentem hortum conſitas, & ab Apoſtolis vel Chriſti iuſſu, vel S. Spiritus, quem

edocturum omnia, omnemq; veritatem Chriſtus ſpoponderat, inſtinctu conſtitutas agnoſcunt; earumque argumenta & rationes condiſcunt, quaſique ſub corticibus latētia myſteria venerantur. Id egregie præſtitiſſet nunquam ſatis laudatus Panuinius, niſi acerba & immatura morte fuiſſet præreptus. Ego tamen animum non deſpondeo, neque detrecto tanti viri veſtigia perſequi, eodemque in ſtadio decurrendo, Spartam illam pro modulo meo exornare, ſi placitum ſit S^ti. V^æ. cuius vt leniſſimum atque moderatiſſimum, ita longæuum feliciſſimiſq; ſucceſſibus cumulatum imperium, ad Eccleſiæ reipublicæque Chriſtianæ bonum, & ad literarum decus, quemadmodum exopto vóueoque, ſic ab altiſſimo Deo in dies apprecari, veſtræque S^ti bene ominari non deſino.

EMI-

EMINENTISSIMO
Et Reuerendiſſimo Domino

FRANCISCO
S. R. E. CARDINALI BARBERINO
SANCTAE SEDIS APOSTOLICAE VICECANCELLARIO

Ioſephus Maria Suareſius Aueniouen. felicitatem.

IAcebat ignotus fere Libellus iſte, quem de ritu ſacrandi cereos Agnos eruditiſſimus antiquitatis ſacræ vindex Onuphrius Panuinius conſcripſerat: vtque literis etiam ſua mors eſt, & quemadmodum cecinit Poëta vetus,

Habent ſua fata libelli;

ſemiſepultus in Bibliotheca circumvolui tenebris obliuionis, & perire ſenſim videbatur. Sed cum pietas, cuius tam præclarum ſpecimen

S.D.N.Vrbanus VIII, Pont. Max. in Agnis cereis ſecundùm ſacrandis III. Non. Aprileis exhibuit, meum tetigiſſet pectus, & excitaſſet ad inueſtigandam cæremoniæ ſolemnis ab Vrbano V. Pont. Sanctiſſ. renouatę primæuam originem, perlegi Libellum iſtum, doluique grauiter intercidere tam cito digniſſimum æternitate monumentum. Quamobrem rurſus eductum in lucem cũ Corollario, quod in aula & bibliotheca veſtra collegi, iure merito E.tiæ V.æ dedico. Ipſa nanque non tantum mel ſuauitatis & clementiæ diffundit in orbem Chriſtianum, verum & vigilantiæ, laboriſque ceram publicis negotijs impendit, ipſiuſque nutu fuit inſtauratum illud ab antiquis Heroibus inſtitutum ac intermiſſum diu certamen, ne quid lateat futuris ſeculis profuturum. Vnde mihi perſuadere audeo, munus iſtud gratum acceptum fore: Agnumque Dei venerabundus exoro, vt Sanctiſsimo D.N. atq; Eminentiæ Veſtræ felicitatis cumulum, veſtraque prouidentia Chriſtianæ Reipublicæ pacem impertiatur. Romæ MDCXXX.

ONV-

Candido Lectori.

VT detegam ſcopum meum in altero Corollario præſertim de Agnis Dei, & reliquum dolium, quod verſaui, vſus ſum in eo ſorite, quæ Rhetoribus eſt coaceruatio, ſiue conglobatio argumentorum, ad Agnorum originem arceſſendam ab Apoſtolicis vſque temporibus, ſiuè ab Eccleſiæ cunis, & faſcijs, quod in priori Corollario propoſueram. Itaque multa congeſſi de Cera, *de Cereis, de Paſchalis Benedictione, de Confirmatione, deque munuſculis dari ſolitis, de Agno Chriſti, & Chriſtianorum ſymbolo, deque Agni effigie, quæ ideo ceræ impreſſa, & in cultu exſtitit, atque Chronologiam quãdam pertexui, nec enim poſſunt iſta probari ad amuſſim, tamque dilucidè, cum in cryptis è S. Hieronymo rarò lumen deſuper admiſſum horrorem temperaret tenebrarum; ideo à veriſimili, ex coniecturis, atque ſynonymis adminicula plura ſubieci, quæ ſemiplenam facerent probationem, & plenam ex vſu Agnorum in quarto ſæculo. Oſtendi S. R. E. Archidiaconos eorum fuiſſe diribitores olim: ſed in his an στο-χαστικῶς agens ſcopum tetigerim, atque collimarim, beneuole iudicabis.*

ONVPHRII PANVINII VERONEN. Fratris Eremitæ Auguſtiniani, de Baptiſmate Paſchali, & origine conſecrandi AGNOS DEI.

Ad Illuſtriſ. & Reuerendiſs. Dominum Alexandrum Farneſium Diaconum Cardinalem, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Vicecancellarium.

SOlemnis & vetus conſuetudo eſt, pluribuſq; iam ſæculis in Romana Eccleſia vſurpata, vt Pontifices Maximi infra Octauam Paſchatis primi anni Pontificatus, & deinceps ſeptimo quoque anno, dum in humanis agunt, orbes quoſdam cereos candidiſſimos Benedicant, Conſecrent, & (vt eiuſdem cæremoniæ vocabulo vtar) Baptizent, eoſque; populo Chriſtiano deuotiſſimè diſtribuant, qui apud fideles deuotionis ergo, & in multorum malorum remedia ſeruati ſanctiſſimè coluntur. Hi è cereis Paſchalibus, qui pręteritis annis ſuper fuere, alia addita cera confici ſolebant, Agni imagine ſignati, quos vulgo Agnos Dei vocãt. Qua cæremonia, quum nihil ferè (vt ego ſentio)

tio) ſit notius vulgatiuſq;eius tamen origo,& primordia obſcura ſunt,&à nemine hactenus (quod ſciam)explicata. Hac idcircò ratione perſuaſus rem nõ iniucundã omnibus pijs me facturum,atq;Chriſtianæ antiquitatis ſtudioſis plurimũ gratificaturum arbitratus ſum,ſi, quę de huius vulgatiſſimę,& pulcherrimę cõſuetudinis obſcura origine didici,in lucẽ cum clariſſimi nominis tui (Alexander Card. Ampliſſime)pręſcriptione ederem,hoc pręſertim tẽpore, quo eos Pius Papa IV. religioſiſſimus & pientiſſimus Pontifex Benedicere,& Baptizare,more maiorum conſtituit. Tuo enim beneficio & liberalitate, quũ honeſtiſſimo mihi otio frui cõceſſum fuerit,animus ad eiuſmodi tractanda ſuaptè natura incitatus admodum liber eſt. Atque ideo ſub tui nominis Ampliſſimi patrocinio, arduam mihi quidẽ, ſed omnibus mortalibus (vt ſpero) vtilem prouinciã aſſumpſi,vt hiſtoriam omnem Eccleſiaſticam, Chriſtianæ religionis inſtituta,varias conſuetudines,& cæremonias, ac quicquid cognitu dignũ in Eccleſia Catholica iam inde ab Apoſtolorum tempeſtate ad noſtra vſque ſæcula geſtum ſit,quantum ratio temporum patitur, illuſtrarem;atque ea,qua à me diligentia fieri poſſet,monumẽtis traderem litterarum. Quæ omnia quũ in his diu,& multũ hactenus labora-

ra-

rauerim,propediẽ in publicã Chriſtianorũ om nium vtilitatẽ me euulgaturũ, diuino numine fretus,ſpero,atq; etiã polliceor. Exiguũ interim hoc opuſculũ ſibi habeat diligẽs ac pius Lector dũ reliqua, quorũ tanquã ſpecimẽ eſt, adornẽ.

Rem igitur, cuius initia temporum iniuria obſcuriſſima iam facta ſunt, explicaturo,illud ante omnia ſcitu dignum animaduertere viſũ eſt,me nihil,quod huius rei apertè,& clarè mẽtionem faciat,hactenus inueniſſe; ſed quæ memoriæ prodere ſtatui, omnia ex rei ipſius ritu & his cæremonijs, quæ hoc etiam tempore in eis Baptizandis celebrantur, obſeruata collegi.

Quæ omnia quum conuenire omninò antiquiſſimis Baptizandi Catechumenos, hoc eſt, qui ad Chriſti fidem veniebant,inſtitutionibus demonſtrauero, optima certaque coniectura perſuaderi poterit, eius rei originem,ex hac in Baptiſmate Chriſtianorum vetuſta obſeruantia fluxiſſe. Hæc autẽ vt faciliùs, & accuratius ab omnibus intelligantur, operæ pretiũ eſt, primũ ea tradere,quæ apud vetuſtiſſimos noſtræ religionis auctores de Baptiſmate, eiuſq; varijs ritibus,& cæremonijs ſcripta inueni; deindè ea his applicare inſtitutis,quæ nunc in horum orbiũ cereorũ Benedictione obſeruantur. Quibus perceptis, rei ipſius origo, & vnde id inſtitutũ manarit,manifeſtè intelligi,& cognoſci poterit.

Pri-

Primum omnium ſatis manifeſtum eſt, Baptiſmatis obſeruantiam ſanctiſſimum eſſe Eccleſiæ Sacramentum, à Domino noſtro IESV CHRISTO ordinatum, atque ab omnibus qui eidem nomina dant, ſuſcipiendum, ſine quo regnum Cœlorum ingredi nemo poteſt; iuxta illud Euangelicum axioma: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire regnum Dei.

Baptizandi porrò, vt etiam cæterorum Eccleſiæ Sacramentorum varij ritus, & conſuetudines apud veteres Chriſtianos fuerunt. Nam diuerſis temporibus, variatis hominum moribus & voluntatibus, multa quoque in Eccleſia mutata ſunt. Principio enim ſub ipſis Apoſtolorũ temporibus omnes fere, qui regenerationis lauacro abluebantur, adulti erant, quũ quotidie multi ex gentibus ad Chriſtianam religionem confluerent: nam eo tempore vbique reperire erat ethnicos Chriſtianis admixtos. Idẽ quoque obſeruatũ fuiſſe primis Eccleſiæ poſt perſequutiones tẽpeſtatibus, exẽplo ſunt Ambroſius, & Nectarius, quorũ ille ex catechumeno Mediolanenſis, iſte ex gentili Conſtantinopolitanus Epiſcopi ordinati ſunt. Itẽ Beatus Pater Auguſtinus, ſenior Theodoſius Imperator, & alij multi, quos iam adultos per ea tempora baptizatos fuiſſe conſtat. Dies etiam baptiſmatis incer-

incerti erant, neque ſolemni obſeruantia ordinati. Quin etiam Baptiſma ab omnibus conſerebatur, ſiquidem eo tempore omnes docebant, omneſq; baptizabant quibuſcunq; diebus, & temporibus ſe obtuliſſet occaſio. De quibus cæremonijs, & eccleſiaſticis nonnullis alijs ordinationibus, poſt primordia naſcentis Eccleſiæ inſtitutis, meminit Rabanus Maurus in epiſtola quadam ad Regembaldum, quam citat Burchardus Vvormatienſis libro ſexto, in quo de Sacramentis loquitur, in hæc verba: Igitur vt B. Ambroſius teſtatur, poſtquam omnibus locis Eccleſiæ ſunt conſtitutæ, & officia ordinata, eſt aliter cõpoſita res, quàm cœperat. Primùm enim omnes docebant, & omnes baptizabãt, quibuſcumque diebus, & temporibus fuiſſet occaſio. Nec enim Philippus tempus quæſiuit, aut diem, quo Eunuchum baptizaret, neque ieiunium interpoſuit. Neque Paulus, & Silas tempus diſtulerunt, quo cuſtodem carceris baptizarent cum omnibus ſuis. Neque Petrus Clericos habuit, aut diem quęſiuit, quando Cornelium cum omni domo ſua baptizauit; hoc fecit ipſe, nec iuſſit fratribus, qui cum illo erant apud Cornelium in Ioppe: adhuc enim præter ſeptem Diaconos nullus fuerat ordinatus. Vt ergo creſceret plebs, & multiplicaretur, omnibus inter initia conceſſũ

eſt.

eſt & euangelizare, & baptizare, & ſcripturas in Eccleſia explanare. At vbi omnia loca circumplexa eſt Eccleſia,conuenticula conſtituta ſunt & Rectores, & cætera officia in Eccleſijs ſunt ordinata; vt nullus de Clero auderet, qui ordinatus non eſſet, quod ſciret non ſibi creditum, vel conceſſum, & cœpit alio ordine, & prouidentia gubernari Eccleſia. In qua ſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res, & viliſſima videretur. Inde eſt origo, vnde nunc neque Diaconi populo prædicant; neq. Clerici,vel Laici baptizant,neq;quocumque die credentes tinguntur,niſi ęgri.Ideo non per omnia conueniunt ſcripta Apoſtolica ordinationibus,quæ nunc in Eccleſia ſunt,quia hæc inter initia ſunt ſcripta, &c. Atque hactenus D.Rabanus apud Burchardum.

Baptizandi verò ritum,& rationem apud vetuſtiſſimos Chriſtianos explicat Q. Septimius Florens Tertullianus multis locis, & primùm in libro contra Praxeam prope finem, vbi de Chriſto loquitur: ait enim: Et poſt reſurrectionem ſpondens miſſurũ ſe diſcipulis promiſſionem Patris,& nouiſſimè mandans,vt tingerent in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, non in vnum,nam nec ſemel, ſed ter,ad ſingula nomina in perſonas ſingulas tingimur. Idem in libro de corona militis, Aquam (inquit) adituri

ibi-

ibidem,ſed,& aliquãto priùs in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renuntiare Diabolo,& pompæ,& Angelis eius;dehinc ter mergimur, amplius aliquid reſpondentes, quàm Dominus in euangelio determinauit. Inde ſuſcepti,lactis, ac mellis concordiã prægustamus, exquè ea die lauacro quotidiano per totã hebdomadam abſtinemus. Rurſus in primo libro aduerſus Marcionem Ponticum hæreſiarcham idem his verbis refert: Sed ille quidem vſque nunc nec aquam reprobauit Creatoris, qua ſuos abluit; nec oleũ,quo ſuos vngit; nec mellis, & lactis ſocietatem, qua ſuos infantat. De quibus cæremonijs meminerunt etiam alij veteres Scriptores.

Conteſtationis enim, qua Christiani diabolo,& pompæ,& angelis eius renunciabant,pluribus in locis mentionẽ facit S. Hieronymus,& præſertim in epiſtola ad Ruſticum, quã ad Occidentem verſos facere conſuetudinem fuiſſe ſcribit.Interpres quoque Dionyſij de Eccleſiaſtica Hierarchia: Deinde (inquit) Occidentem verſus illum ſtatuens, intendentem manus ad eamdem regionem conuerſas, inſufflare illum ter Satanan iubet, & præterea abrenuntiationem profiteri.Idq;ſequenti capite exponens docet impulſione manuum Baptizandum obſcuræ militiæ conſortia renuere, & exſufflare.

Hæc

Hæc ipſa referunt B. Ioannes Chryſoſtomus in homilia Adami, & Euæ, & ſuper quintumdecimũ caput epiſtolæ prioris ad Corinthios: Item S. Auguſtinus in ſermone ſecundi diei Paſchatis, In libris Symboli, de Dogmatibus Eccleſiaſticis, & poſtremo in epiſtola ad Sixtum presbyterum S.R.E. finem verſus. *Vnctionem* verò ex ſacro oleo idem Dionyſius in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia profitetur, qui eam in baptiſmate vſurpari à ſanctis Apoſtolis ex Chriſti mandato inſtitutum eſſe affirmat: quod etiã Adamantius Origenes homilia vij. ſuper Ezechielem recitat, & beatiſſimus martyr Cyprianus in Epiſtola ad Antoniannm, Rogatianũ, & Honoratũ Epiſcopos. Vngi (inquit) neceſſe eſt eum, qui Baptizatus ſit, vt accepto Chriſmate, ideſt vnctione vnctus Dei, habere in ſe Chriſti gratiam poſſit. Idem Concilia Laodicenũ capite xlii. & Arauſicanum capite primo obſeruari conſtituerunt. Cæremonia porrò lactis, & mellis ex veteri inſtrumento aſſumpta eſt, in quo ſubinde mentio fit terræ fluentis lacte, & melle: & ex loco Eſaiæ, Butyrum, & mel comedet. Lac enim infantibus conuenit, quibus aſſimilantur recensBaptizati. In occidentis vero Eccleſia, de nouo baptizatis vinum, & lac dare veteres conſueuiſſe, refert S. Hieronymus in libro aduerſum Luciferianos, & in commentarijs

in

in Eſaiam, vbi locum illum explicat: Venite, emite abſque argento, & vlla commutatione vinum, & lac, nempe his verbis de Chiſto loquens. Quod(inquit) vinum miſcuit ſapientia in cratere ſuo, omnes ſtultos ſæculi, mũdique ſapientiam non habentes prouocans ad bibendum, vt non ſolum vinum emamus, ſed & lac, quod ſignificat innocentiam paruulorum. Qui mos ac typus in Occidẽtis Eccleſijs hodie vſq; ſeruatur, vt renatis in Chriſto vinum, lacq; tribuatur. Quod autem Tertullianus ſcripſit, lac, & mel ſolita fuiſſe Baptizatis ſuo tempore dari, fortè S. Hieronymi ſæculo in vinum, & lac cõuerterat conſuetudo. Ad hæc Dionyſius, quem ſupra citaui, refert ſacerdotem Catechumenorum nomina ſigillatim rogare ſolitum; & eos omnes ante Baptiſmũ nomina dediſſe, quæ ſcripto notabantur. Et adijcit: Baptizatis ſtatim Corpus Chriſti tradi, ipſoſq. Chriſmate vngi ſolitos. Fuit etiam vſus in primitiua Eccleſia ſal benedictum ori Baptizandorum apponi, vt refert Origenes homilia v i. ſuper Ezechielẽ, vbi etiam Catechumenos hortatur, vt ſe præparẽt ſal Chriſti fieri. S. Ambroſius in libro de ijs, qui myſterijs initiantur, cõmemorat, naſum, aureſq. Baptizandorum Sacerdotes tãgere cõſueuiſſe. Quarum omnium cæremoniarum vir ſanctus Euſebius Emeſenus in Homilijs Paſchalibus fre

B quen-

quenter mentionem facit. Sed quando tot iam cõſuetudinum meminerim, quæ in Baptiſmate fiebant, cur nõ etiam illas apponam, quæ apud Burchardũ Vvormatienſem in ſexto libro, qui de Sacramentis Eccleſiæ tractat, notatæ ſunt, præſertim quum ſint cognitu digniſſimæ? Sic autẽ illic legitur: In illo officio primùm Paganus Catechumenus fit accedẽs ad Baptiſmũ, vt renunciet maligno ſpiritui, & omnibus damnoſis eius pompis. Exſufflatur etiam, vt fugato Diabolo, Chriſto Domino noſtro paretur introitus. Exorcizatur, id eſt cõiuratur malignus ſpiritus, vt exeat & recedat dãs locũ Deo vero. Accipit Catechumenus ſal, vt putrida, & fluxa eius peccata ſapientiæ ſale diuino munere mũdentur. Deinde Symboli Apoſtolici traditur ei fides, vt vacua domus, & à priſco habitatore derelicta, fide ornetur, & vt præparetur habitatio Deo. Tum fiunt ſcrutinia, vt exploretur certius, an poſt renunciationem Sathanæ ſacra verba datæ fidei radicitus corde defixerit. Tanguntur & nares, vt quamdiu ſpiritum naribus trahat, in fide accepta perduret. Pectus quoque eodem perungitur oleo, vt ſigno Sanctæ Crucis Diabolo claudatur ingreſſus: ſignantur & ſcapulæ, vt vndique muniatur. Item in pectoris, & ſcapulæ vnctione ſignificatur fidei firmitas, & operum bonorum perſeuerantia. Et

ſic

ſic in nomine Sanctæ Trinitatis trina ſubmerſione baptizatur, & certè homo, qui ad imaginem Sanctæ Trinitatis creatus eſt, ad eãdem renouatur imaginẽ,& qui tertio gradu peccati,id eſt conſenſu, cecidit in mortem,tertiò leuatus à fonte,per gratiã ſurgit ad vitam. Tum albis induitur veſtimẽtis propter gaudium regenerationis, ad caſtitatem vitæ, & Angelici ſplendoris decorem. Tum ſacro Chriſmate caput perũgitur, & myſtico tegitur velamine,vt intelligat ſe diadema regni Sacerdotij dignitatem portare, iuxta Apoſtolum; Vos eſtis genus regale, & Sacerdotale, offerentes voſmetipſos Deo viuo hoſtiam ſanctam, & Deo placentem. Sic corpore & ſanguine Domini cõfirmatur,vt illius ſit capitis membrum,qui pro nobis paſſus eſt,& reſurrexit. Nouiſſimè per impoſitionem manus à ſummo Sacerdote ſeptiformis gratiæ ſpiritum accipit, vt roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum alijs, qui fuit in Baptiſmo per gratiam vita donatus æterna, &c.

Baptiſmi autem dies, quos Apoſtolorũ ſæculo,incertos, &varios fuiſſe iam demonſtraui, certis quibuſdam, & ſtatis tẽporibus, id eſt bis in anno poſtea firmatos fuiſſe à Sãctis Patribus auctor eſt,quem ſupra citaui,D.Rabanus.Neq. (inquit)quocumq;die credentes tingũtur,niſi ægri. Tempus autem Baptizandi erat Paſcha

potiſſimum, & Pentecoſte cum ſex diebus ſequẽtibus. Qui mos antiquiſſimus fuit. S. Sylueſter Papa in Synodo Romana CCXXCIV. Epiſcoporum, canone XII. ait: Baptiſmũ prædicantes dare omnibus infirmis, ſanis autẽ, ſicut veritas commonet, in Paſcha, & Pentecoſte. Siricius Papa epiſt. I. ad Himerium cap. 2. Sequitur (inquit) de diuerſis Baptizandorũ temporibus prout vnicuiq; libitũ fuerit improbabilis, & emendanda cõfuſio, quæ à noſtris conſacerdotibus nõ ratione auctoritatis alicuius, ſed ſola temeritate præſumitur, vt paſſim ac liberè natalitijs Chriſti, ſeu Apparitionis, nec nõ & Apoſtolorũ ſeu Martyrum feſtiuitatibus innumeræ (vt aſſeris) plebes Baptiſmi myſterium conſequantur, quum hoc ſibi priuilegiũ, & apud nos, & apud omnes Eccleſias Dominicum ſpecialiter cum Pẽtecoſte ſua Paſcha defendat, quibus ſolis per annum diebus ad fidem cõfluentibus generalia Baptiſmatis tradi cõuenit Sacramenta; his dũtaxat exceptis, qui ante quadraginta vel eo amplius dies nomẽ dederint, & exorciſmis, quotidianiſq. orationibus, atque ieiunijs fuerint expiati, quatenus Apoſtolica illa impleatur præceptio, vt expurgato fermẽto veteri noua incipiat eſſe conſperſio. Sicut ſacram ergo Paſchalem reuerentiam in nullo dicimus eſſe minuẽdam, ita infantibus, qui nondum potuerint lo-

qui

qui per ætatem, vel his, quibus in qualibet neceſſitate opus fuerit, ſacri vnda Baptiſmatis omni volumus celeritate ſuccurri, ne ad noſtrarum perniciem tendat animarum, ſi negato deſiderantibus fonte ſalutari, exiens vnuſquiſq; de ſæculo, & regnum perdat, & vitam, &c. Itẽ Gelaſius Papa epiſt. prima Epiſcopis per Lucaniam, Bruttios, & Siciliam conſtitutis cap. XI I. Baptizandi ſibi quiſpiam paſſim quocumque tempore nullam credat ineſſe fiduciam, præter Paſchale feſtum, & Pentecoſtes venerabile Sacramentum, excepto dumtaxat grauiſſimi languoris incurſu, in quo verendum eſt, ne morbi creſcente periculo, ſine remedio ſalutari fortaſſis ægrotãs exitio præuentus excedat. Gerundenſe quoque Concilium can. IV. Catechumeni in Paſchæ ſolemnitate, vel Pentecoſtes, ad Baptiſmum veniant; cæteris ſolemnitatibus infirmi tantum debent baptizari, qui quocumq. tempore ſunt baptizandi. Idem refert Concilium Matiſconenſe ſecundum canone III.

Eadem quoque conſuetudo per tempora Caroli Magni, & Hludouici Pij Imperatorum ſeruata eſt. Extant enim leges ab illis ſancitæ, quibus cauetur, ne quemquam Sacerdotes baptizẽt, excepto mortis articulo, præterquam in Paſcha, & Pentecoſte. Eas ſanctiones complectitur volumen Legum Regis Pipini, Caroli

Magni, Hludouici Pij, & Hlotharij Auguſtorum, quas Anſegiſus Abbas collegit, & nunc etiam circumferuntur.

Quum autem antiquitus non niſi adultos baptizari mos fuiſſet, conſuetudo poſtea inualuit, & quidem ob iuſtas cauſas, vt infãtes quoque ſancto lauacro abluerentur. Eos tamen nõ niſi in Paſchate, aut Pentecoſte tingi mos diuturnus in multis Eccleſijs fuit, & per longa tẽpora obſeruatus, hac ſcilicet ratione, vt infantes poſt Paſcha nati ad Baptiſmum Pẽtecoſtes reſeruarentur, & nati poſt Pentecoſten proximo Paſchali feſto (excepta neceſſitate baptizãdi) vna cum adultis Catechumenis, qui ex externis nationibus ad Chriſti fidem continuo confluebant, Sacerdotibus offerrentur. Quod verò de infãtibus Baptizandis dictum eſt, libri rituales, quos Agẽdas vulgo vocant, apertè teſtantur, dum indicant, quo ordine infantium Baiuli, vna cum ſuſceptoribus ſuis ſtare debeãt. Nec me latet in multis Eccleſijs, & forte ex Papæ Siricij conſtitutione, quam paulo ante citaui, infantes quocumque anni tempore (quod etiam nũc in vſu eſt) vt parentibus libebat, tingi ſolitos, idque propter multa pericula, quibus ea ætas ſubiacet. Qua ratione factum eſt, vt cõſuetudo baptizãdi in Paſcha, & Pentecoſte noſtris temporibus omnino antiquata ſit, quum ho-

hodie pauci omninò ſint Catechumeni, qui illis diebus baptizandi eſſent, & pueri ſiue infantes quocumque anni tempore baptizentur.

Nec mirum eſſe debet ſi cæremoniæ ſecundum Eccleſiarum, & Regionum diuerſitatem varient, quum ſuas conſuetudines habuerit Oriens, quemadmodum conſtat ex Dionyſio, ſuas quoque habuerit Occidens.

Vt etiam multis coniecturis aſſequi potui, priſcis temporibus vnicum tantum lauacrum, ſiue Baptiſteriũ in ſingulis vrbibus erat, idque propè maius ciuitatis templum, quod matrem Eccleſiam vulgo vocant, fabricatum, quemadmodum nũc eſt Bononiæ, Florentiæ, Parmæ, & alibi, in quo vno tingebantur pueri, iuuenes, ſenes, diuites, & pauperes, ſerui, & liberi, viri, & mulieres Vnde Gregorius Naziãzenus in oratione de Baptiſmo obiurgat opulẽtos, quos pudebat cum pauperibus ſimul tingi. Romæ quoque elegãs lauacrum, ſiue Baptiſterium adhuc extat omnibus ſuis ornamentis (quæ multa, & ingentia fuere) nũc expoliatum. Quod Sanctus Sylueſter Papa ex cõceſſione Imp. Cæſaris Cõſtãtini Auguſti, Laterani prope maiorem Vrbis Baſilicam, quæ Conſtantiniana appellatur, extruxit, & maximis donis, & ornamentis, quæ idem Imperator Cõſtantinus ipſi Sancto Pontifici donauerat, decorauit; quæ oĩa ab Anaſta-

ſio S.R.E.Bibliothecario in libro, quem de Romanis Pontificibus ſcriptum reliquit, in vita S. Syluestri enumerantur; Vulgo nunc dicitur lauacrum Conſtantini, vel S.Ioannis in Fonte; in eo extant octo columnæ Porphyreticæ, quas quum ad loci ornatum Imperator Conſtantinus contuliſſet, ibidemque extra opus intactas reliquiſſet, eas poſtea, vt idem Bibliothecarius auctor eſt, Sixtus Papa III. additis marmoreis Epiſtylijs in eam, quã nunc cernimus octãgulam formã erexit, verſibuſque Epiſtylijs inciſis ornauit, quos iam exoleſcentes, & carie, temporeque fere conſumptos, admotis ſcalis ſexennio ante quanta potui diligentia collegi, eoſque ne perirent, & quoniam digni viſi ſunt, qui hic ponantur, quum multa quæ dixi, illis declarari, vel confirmari poſſint, ſubieci. ſunt autem hi:

Gens ſacranda polis, hic ſemine naſcitur almo;
Quam fœcundatis Spiritus edit aquis;
Virgineo fœtu genetrix Eccleſia natos,
Quos ſpirante Deo concipit, amne parit;
Cœlorum regnum ſperate hoc fonte renati,
Non recipit felix vita ſemel genitos;
Fons hic eſt vitæ, & qui totum diluit orbem
Sumens de Chriſti vulnere principium;
Mergere peccator ſacro purgande fluento,
Quem veterem accipiet, proferet vnda nouum;
Inſons eſſe volens iſto mundare lauacro,
Seu patrio premeris crimine, ſeu proprio;

Nul-

Nulla renaſcentum eſt diſtantia,quos facit vnum :
Vnus fons,vnus ſpiritus,vna fides ;
Nec numerus quemquam ſcelerum, nec forma ſuorum
Terreat,hoc natus flumine ſanctus erit.

Hæc autem animaduerſa maximam lucem afferunt ad intelligendas cæremonias, & Cantica,Miſſarumq;myſteria, quibus adhuc in Quadrageſima,& Paſchalibus ferijs noſtra Sancta Eccleſia vtitur.

Quum enim(vt dixi)Baptiſmatis Sacramentó dies Paſchalis præcipuè deſtinatus fuiſſet:ex veteri obſeruãtia, quam ex Siricio Papa paulo ante citaui,neceſſe erat,vt ad Chriſtianam pietatem conuerſi,qui tunc credentes dicebantur, ad minus quadraginta diebus ante Baptiſmum Chriſto nomen darent;hoc eſt,ſe Epiſcopo,vel Sacerdotibus præſẽtarent,nomina ſua profiterentur,Baptiſmaq; peterent. Is dies erat primæ Dominicæ in Quadrageſima, qui quadrageſimus eſt ante Dominicam Paſchalem, in quo antiquis temporibus eiuſdem ſanctiſſimæ Quadrageſimalis obſeruationis initium erat; quatuor enim dies,qui nunc pari obſeruantia ante primam Dominicam Quadrageſimæ coluntur, ipſi Quadrageſimali ſacro à Gregorio XI.additi ſunt,quos etiam, vt non ex antiqua obſeruantia,Eccleſia Mediolanenſis hactenus non agnouit. Dominica igitur prima in Quadrageſima introducebantur credentes in Ec-

cleſiam vt catechizarentur, quo die eis legebatur Euangelium, in quo Chriſti quadraginta dierum ieiunium, & à Diabolo tentatio referuntur, innuẽtes illud veteris Inſtrumenti ſcriptum; Fili acccedẽs ad ſeruitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem. Tunc Exorciſmis, quotidianiſq; orationibus, atque ieiunijs, vt refert papa Siricius, expiabantur, ſinguliſque illis diebus lectione ſancti Euangelij explicata per miniſtros Eccleſiæ inſtructi, Catechumeni poſt dicebantur. Hinc ego Quadrageſimalium concionum, ieiuniorum, & cæterarum illius temporis obſeruationum originẽ manaſſe crediderim, quæ certè nō niſi ex Apoſtolorum traditione inſtitutæ ſunt. Extat canon LXXXV. Concilij quarti Carthaginenſis, quo iubetur, vt Baptizandi prius nomen ſuum dent; & diu ſub abſtinentia vini, & carnium, ac manus impoſitione & crebra examinatione Baptiſmum percipiant. Extat & aliud decretum Concilij Laodiceni canone XLIV. ne poſt duas hebdomadas Quadrageſimæ, quiſquam amplius ad Baptiſma ſuſcipi eo anno poſſit. Cō-cilium quoque Bracharen. ſecundum cap. IX. de Catechumenis loquens. Præcipiant (inquit) Sacerdotes eos Quadrageſimæ ieiunijs ſeruire.

Dominica vero tertia Quadrageſimæ, qua cantatur euangelium de muto, qui à dæmone

ob-

obſeſſus, à Chriſto liberatus fuerat, pueri & Catechumeni exorcizabantur, vt iubet idem Concilij Bracharenſis ſecundi canon.

Sabbato autem, qui eſt ante Dominicã Palmarum, in quo cãtatur Introitus; Miſerere mihi Domine, &c. Sacerdotes Catechumenis iam inſtructis Symbolum Apoſtolorum diſcendum tradebãt; quare is dies hactenus appellatur Sabbatum in traditione Symboli, quemadmodum ex antiquiſſimo libro Rituali conſtat. Huius porro rei extant canones XIII. Concilij Agathen. XLVI. Laodiceni, & Trulli LXXIX. Ante octo (inquit) dies Dominicæ Reſurrectionis Symbolum prædicatur, quod poſtea ex decreto Concilij *Laodiceni* canone XLVI. feria V. in Cœna Domini, Epiſcopo, vel Presbyteris recitabant. Nec quicquam aliud ſonant Introitus, Collectæ, Lectiones, & Euangelia Miſſarum Quadrageſimalium, quàm huiuſmodi obſeruantias, & præſertim Collecta Sabbati ante Palmas, quod dicitur in traditione Symboli, quæ eiuſmodi eſt. Proficiat (quæſumus Domine) plebs tibi dicata piæ deuotionis affectu: vt ſacris actionibus erudita quanto maieſtati tuæ, ſit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Sabbato autem ſancto Paſchæ primo benedicebatur fons nouus Baptiſmatis, Chriſmatiſque noui oleum infũdebatur (quod

etiam

etiam hodie inſtitutum permanſit) ad Baptiſma, quod proxima hebdomada fieri conſueuerat, celebrandum, Catechumeni quoque, dum Miſſa eius diei celebratur, Eccleſiam ingreſſi, ante Epiſcopum alta voce Alleluia canebant; quem ritum nunc, & ſancta Romana Eccleſia ſeruat: Nam Sabbato ſancto poſt lectam Epiſtolam Miſſæ, Subdiaconus Apoſtolicus procedit ante Pontificem, & ſtans alta voce dicit: Pater ſancte, Annuntio vobis gaudium magnum, quod eſt Alleluia.

In die verò ſancto Paſchatis, qui Reſurrectioni Dominicæ ſpeciatim dicatus eſt, qua ſancta fides noſtra, nouiſſimum ſuæ perfectionis finem accepit, Sacerdotes Baptiſmatis Sacramentum plebi Dei, Catechumenis ſcilicet, conferre incipiebant, idque perſequebantur ſex diebus ſequentibus: quod etiam indicant ipſa Miſſarum, & Officiorum Paſchalium ſolemnia, qualia ſunt; Hymnus, Rex Sanctorum Domine. Oratio Sabbati Sancti. Deus cuius antiqua mirabilia etiam noſtris ſæculis coruſcare ſentimus, dum quod vni populo, à perſequutione Aegyptiaca liberando, dexteræ tuæ potentia contuliſti, id in ſalutem gentium, per aquam regenerationis operaris. Item Reſponſorium diei Paſchæ. Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro & omnes,

ad

ad quos peruenit aqua iſta, ſalui facti ſunt. infra Canonem;Hanc igitur oblationẽ ſeruitutis noſtrę, ſed & cunctę familię tuę,quam tibi offerimus,pro his quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu ſancto,tribuẽs eis remiſſionem omniũ peccatorum. Oratio ferię ij.Deus qui ſolemnitate Paſchali mundo remedia contuliſti,Introitus ferię iij. Aqua ſapientię potauit eos. & huius diei Oratio. Deus qui Eccleſiam tuam ſemper gentiũ vocatione (*alias*) nouo ſemper fœtu multiplicas.Introitus ferię iiij. Venite benedicti Patris mei. Introitus ferię v. Victricem manum tuam Domine laudauerunt pariter, quia ſapientia aperuit os mutum, & linguas infantiũ fecit diſertas.Et eius diei Oratio. Deus qui diuerſitatem gentium in confeſſione tui nominis Baptiſmate renouaſti,vt ſẽpiternam beatitudinẽ conſequantur.Introitus ferię vj. Eduxit eos Dominus in ſpe. Secreta. Hoſtias quæſumus Domine placatus aſſume, quas & pro renatorũ expiatione peccati deferimus,& pro acceleratione cęleſtis auxilii &c.

Ad antiquam vero lactis, & mellis cęremoniam,de qua ſupra verba feci,alludit Introitus ferię ij.Introduxit vos Dominus in terrã fluẽtẽ lac & mel,vt lex Dñi ſemper ſit in ore veſtro.

Dominica in Albis cur ita dicatur.

Hebdomada autem Paſchalis,in qua Baptiſmi

Sacramentum conferebatur, in Albis diceba·tur, ab albis veſtibus quibus induebantur recẽs Baptizati: verũ noſtris temporibus hoc ſibi tã·tum cognomen retinuit Sabbatum infra octa·uam Paſchæ, quo omnes qui Baptiſma per eam hebdomadam ſuſceperãt, albis veſtibus amicti, ſimul cõueniebant ad Eccleſiam: quod innuit Hymnus, qui eo die cãtatur, Ad cœnam Agni prouidi, & ſtolis albis candidi, poſt tranſitum maris rubri Chriſto canamus Principi &c. hãc autẽ ob cauſam albis veſtibus induebãtur Bap. tizati, quo meminiſſent ſe iam manumiſſos, & e ſeruis, ac mancipijs diaboli libertos factos Jeſu Chriſti. Nam Tertullianus libro, qui inſcribitur de Reſurrectione carnis, ordine re. cenſens manumiſſionis inſignia, albam quoq; veſtẽ adnumerat. Si famulũ tuũ (inquit) liber·tate mutaueris, & veſtis albę nitore & annuli aurei honore, & patroni nomine, ac tribu, menſaque honoratur.

Color quoque albus innocentiæ pręcipue conuenit. Eius quoque rei meminit Burchar·dus, quem ſupra citaui, & Honoratus Venan·tius Fortunatus in carmine, cui initium eſt Salue feſta dies etc, vbi ait.

Rex ſacer ecce tui properat pars magna trophæi,
Quùm puras animas pura lauacra beant;
Candidus egreditur nitidis exercitus vndis
Atque vetus vitium purgat in omne nouo,

Ful·

Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat
Et grege de niueo gaudi Paſtora habet;

Baptizatis autem albis indutis Sabbato poſt Paſcha ad Eccleſiam conuenientibus Alleluia cantantibus Sacerdos Miſſam celebraturus, Introitum Miſſæ illi rei congruentem legebat. Eduxit Dominus populum ſuum in exultatione; & electos ſuos in lętitia, eiſque illam Beati Petri epiſtolę partem recitabat, quę etiam hodie legitur, et ſic incipit; Chariſſimi, deponẽtes omnem malitiam, et omnem dolum, et ſimulationes et inuidias et omnes detractiones, ſicut modo geniti infantes, etc. et paulo poſt: Vos autem genus electũ, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis; vt virtutes eius annuncietis, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum etc. Dominica verò in octaua Paſchę, quę in Albis depoſitis dicebatur, mane antequam albas veſtes deponerent, adhuc albis veſtiti ad Eccleſiam confluebant, quibus Sacerdotes Miſsã decantabant re illi maximè appoſitam, ſic enim Introitus incipit; Quaſi modo geniti infantes rationabile, ſine dolo lac concupiſcite etc. et epiſtolam Ioãnis; Chariſſimi, omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum; et hęc eſt victoria quę vincit mundum, fides noſtra. Quis eſt autem qui vincit mundum, niſi qui credit quoniã IESVS eſt

Filius

Filius Dei?Hic eſt qui venit per aquam et ſanguinem IESVS CHRISTVS. Item Euangelij lectionem ex S. Ioanne, de apparitione Chriſti reſuſcitati,et Thomæ incredulitate,vbi poſtea concluditur; Beati qui non viderunt et crediderunt etc. et paulo poſt; Hęc autem ſcripta sũt,vt credatis quia IESVS CHRISTVS eſt Filius Dei,vt credentes vitã habeatis,in nomine eius. Sicut itaque in pręcedentibus diebus quibus baptizabantur, multoties aquæ et regenerationis mẽtio eſt;ſic hoc die in Officio Miſſæ poſt adeptum Baptiſma,non niſi fides,fides, fides inculcatur, et in fide perſeuerantia. Finita verò.Miſſa & ſacra concione, omnes Baptizati domos reuertebãtur proprias,veſteſq; albas exuebãt,à quibus hęc dies Dominica in Albis depoſitis dicitur. Hęc autem omnia pluribus forte,quã par erat,verbis explicaui,quod feci, vt & res apertiùs cognoſceretur,a qua conſuetudo benedicendi Agnos Dei manauit de qua paulo poſt ſum tractaturus; et ne tam digna myſteria obſcura iam facta ignorentur, ſimulq;vt oſtenderem totam Paſchalem hebdomadam à veteribus fuiſſe feriando ex Pontificum decretis tranſactam;quod etiã pręcipiũt Imperatores Carolus Magnus, et Hludouicus Pius Auguſti in legibus ſuis,quas ſupra citaui in capite de Feriarum obſeruatione. His finitis

ante.

antequã ad explicationẽ benedictionis Agno. rũ Dei deueniã, libet Pontij Paulini verſus ſubijcere,quibus deſcribit Baptiſmũ, ſunt autẽ hi

Inde parens ſacro ducit de fonte ſacerdos
Infantes niueos , corpore, corde, habitu ;
Circundatq; rudes feſtis altaribus agnos ,
Pura ſalutiferis imbuit ora cibis ;
Hinc ſenior ſociæ congaudet turba cateruæ,
Alleluia nouis balat ouile choris .

His igitur auctoritatibus ſatis confirmatum eſſe exiſtimo ſolemne baptiſma in Paſchate et Pentecoſte fieri ſolitum . Quum igitur ob eam quam ſupra dixi rationem hęc baptizandi conſuetudo paulatim obſoleſceret,Romani Pontifices, ne antiquæ & pulcherrimæ cæremoniæ memoria omnino laberetur in eius conſuetudinis memoriam , horum Agnorum Dei benedictionem inſtituerunt . Quibus benedicendis,omnia fere ea peragunt,quæ veteres ſacerdotes Cathecumenis baptizatis facere ſolebant . Nulla enim vnquam fuit Eccleſia,quę dignioribus ſignificationibus , & typis myſteria ſua conſignarit , quam Romana . Quæ omnia vt clarius intelligantur , præcipua quędam ſubijcere placuit, quibus Romani Pontifices vtuntur in his Agnis Dei conſecrãdis , quæ antiquæ baptizandi Catechumenos inſtitutioni conuenire omninò demonſtrabo . Ac primum de eorumdem formatione verba

ſaciam, quæ non eadem ratione antiquitus cum ea, quæ noſtris temporibus vſurpatur, fuit. Olim enim cera alba pura, ex qua formarentur, parata erat per Magiſtrum ceræ Palatij Apoſtolici,& per eos, qui pro ſe Agnos Dei volebant, ponebaturque prius ſuper altare B.Petri, quam deinceps Subdiaconus quiſpiam Apoſtolicus de altari accipiens ad Pontificis Palatium deferebat,vbi loco idoneo, ex ea ipſe cum alijs Subdiaconis & Acolythis Papæ manibus proprijs formabant Agnos Dei magna cum deuotione, & reuerentia aliquibus neceſſaria ſubminiſtrantibus, ceram autem mollificabant cum Oleo ſancto, & Chriſmatis,quod ſuper fuerat ex anno præterito. deinde Papæ præſentati ab eo benedicebantur,quæ omniaPont.expenſis fiebant. Hoc vero tempore re paululum immutata, Sacriſta Papæ cum ſuis Capellanis, & Clericis Capellæ format ipſos Agnos Dei ex Cereo Paſchali anni præteriti, & cera aliunde Papæ expenſis allata, illiſque non miſcetur amplius Oleum ſanctum, nec Chriſmatis, ſed puri, & mundi Papæ præſentantur in cubiculo ſuo, qui (vt nunc eſt conſuetudo) feria V. infra Octauam Paſchæ poſt auditam, vel dictam Miſſam in ſua priuata ædicula indutus Pontificalibus veſtibus eos hac ratione benedi-

dicit;Primũ enimbenedicit aquã ſimplicẽ,quę ibidẽ in vaſo magno parata eſt, benedictione communi, quæ paſſim diebus Dominicis vſurpatur, deinde aliam adijcit orationem, poſt in eam infundit Balſamum, & ſanctum Chriſma ex duabus ampullis in formam Crucis, dicens verba Benedictionibus, & Conſectationibus appoſita, addito in fine, In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Amen. Benedicta & conſecrata aqua aliquot orationes dicit ſuper Agnos Dei, qui ibidẽ etiã in capſis parati ſunt, quibus Benedictis, Pontifex accinctus lineo mitratus ſedet apud vas aquæ. Et cubicularij ad eum portant AgnosDei in peluibus argenteis, quos Papa immergit in aquam & prælati aſtantes eos extrahunt, & in eiſdem peluibus portantur ſuper menſas mappis candidiſſimis præparatas,vt ſiccentur Quibus geſtis Papa ſuper eos rurſus alias orationes dicens, ipſos iterum benedicit. Quibus finitis reponuntur Agni Dei in capſis vſque ad Sabbatum in Albis, qui poſt dictum Agnus Dei illius miſſæ poſteà diſtribuuntur. Orationes autem ipſas, ſiue eorum benedictiones,quæ multæ, & longæ ſunt,idcirco non poſui,quod omnibus facilè eſt eas in Libro Cæremoniarum S.R.E.videre.Sabbato igitur in

Albis dicto, Agnus Dei, Miſſa diei in Capella Papæ à Presbytero Cardinali celebratur. Pontifici ſedenti Subdiaconus quiſpiam Apoſtolicus ſacris veſtibus indutus, Crucem cum duobus Ceroferarijs & Thuriferario cum Thuribulo fumiganti præcedentibus, defert lancem plenam Agnis Dei bombyce inuolutis à Sacriſta acceptam, quumque fuerit infra oſtium Capellæ, genuflexus alta voce dicit. Pater Sancte, iſti ſunt Agni nouelli, qui annuntiauerunt vobis Alleluia, modo venerunt ad fontes, repleti ſunt claritate Alleluia, Cantores tunc alta voce reſpondent, Deo gratias, Alleluia. Hoc idem iterum, & tertiò facit idem Subdiaconus, eoſque Pontifici præſentat craterem ipſum manibus tenēs, qui ſtatim ab ipſo Papa omnibus Cardinalibus primùm, deinde Prælatis, & alijs minorum ordinum per ordinem diſtribuuntur, incipiēdo àdignioribus, qui maxima cum reuerentia, & deuotione eos à Pontifice genuflexi accipiunt in Mitris, vel capitijs ſuis, ne eos manibus attrectent. Finita diſtributione Papa lotis manibus, reliquum Miſſæ audit, & ea finita in Palatium reuertitur. Tunc vero ab aliquibus Pontificis familiaribus, quibus id demandatum fuerit, omnibus fidelibus diſtribuuntur, à quibus in Lararijs ſuis ſanctiſſime

ſer-

ſeruātur. Atque hæc eſt ſumma huius cæremoniæ, quam antiquæ baptizandi conſuetudini conuenire his rationibus conſtat. Ante omnia enim hæc Agnorum Dei benedictio, baptizatio appellari ſolet, quemadmodum & Catechumenorum baptiſmus dicebatur, non celebratur niſi infra Octauam Paſchæ, vt olim baptiſmus: illa deinde verba: Iſti ſunt agni nouelli, qui annuntiauerunt vobis Alleluia &c. alludunt ad antiquam cæremoniam, qua Catechumeni coram Epiſcopo, Alleluia in Eccleſia cantabant: dicuntur agni, vt etiam Catechumeni, nam agnus eſt omnium animalium mitiſſimus, vt debent eſſe fideles. Hoc autem habes apud Pontium Paulinum his verſibus; quos etiam ſupra citaui.

Circundatque rudes feſtis altaribus agnos, itemq.
Alleluia nouis balat ouile choris:

Hic autem typus illius veteris baptizandi in Paſcha conſuetudinis ideo in his orbibus cereis benedicendis potiſſimum remanſit, vt opinor quod his, qui antiquitus in Paſcha baptizabantur, dabatur Bulla cerea candidiſſima cum imagine agni, quæ è collo ante pectus pendebat, ea confecta erat ex Chriſmate, Oleo ſancto, Cereis Paſchalibus, & reliquis ſacris, quæ ſuperfuerant ex anno præterito, quando omnia ptoxima ante Paſcha heb-

domada renouata erant. Bulla autem erat triumphantium, & ingenuorum puerorum inſigne: nam ſicut per veſtem candidam eos è ſeruis Diaboli libertos factos IESV Chriſti ſignificabatur; ita per hanc Bullam, qua antiquitùs apud Gentiles tantúm triumphantibus, & pueris ingenuis vti permiſſum erat, demoſtrabatur eos ingenuos, & ciues factos eſſe Paradiſi, & de Diabolo triumphatores, agni autem imagine ſignabantur propter mitem, & humanam eius naturam, vt cognoſcerent ſe tanquam agnos eſſe debere mites, & in omnibus patientes. Hæc autem ex antiquis Ritualibus, vel Cæremonialibus libris Romano, & Burchardi extracta ſunt. De Bulla triumphantium, & ingenuitatis ſigno, vide multa apud Macrobium libro primo Saturnalium. Eiuſmodi autem benedictio ideò non ſingulis annis celebratur, quòd ad antiquæ conſuetudinis memoriam retinendam viſum eſt Sanctis Patribus ſatis ſufficere, ſi ſingulo ſeptennio fieret; vel vt ob eorumdem raritatem, maiori in pretio, & veneratione apud fideles eſſent Proceſſu temporis hominum pia credulitas, & ſancta religio multa his Agnis Dei conſecratis, & miranda attribuit, quæ poſtea comperta, & re ipſa comprobata maiorem ipſis venerationem attulere. Sanè extant verſus

ſus Vrbani Papæ V. ad Imp. Conſtantinopolitanum cum his Agnis Dei miſſi; quibus miracula, & commoda, quæ Deus Optimus Max. Chriſtianis continuo concedit per horũ cereorum venerationem, continentur, qui ſunt hi.

Balſamus, & cera munda cum chriſmatis vnda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum,
Fulgura de ſurſum depellit, & omne malignum,
Peccatum frangit vt Chriſti ſanguis, & angit,
Prægnans ſeruatur, à væ partus liberatur,
Dona parat dignis, virtutem deſtruit ignis,
Portatus mundè de fluctibus eripit vnda.

Hęc eadem eleganti & erudito carmine explicauit Ianus Vitalis poëta celebris, cuius exemplum, quod dignum eſt viſum, vt hoc loco apponeretur, ſequens eſt.

Candida cera Dei, diuini ope numinis Agnos
Agnos nouellos conficit,
Adduntur ſucco mox Balſama pinguis oliui,
Et lympha puri gurgitis,
Conceptis verbis, arcano & munere ſacrat
Romanus illos Pontifex,
Et quia deſignant nobis myſteria ſummi
Agni polorum Principis,
Reſtituit nobis proprio qui funere vitam,
Agni rogat Vicarius.
Ventorum vt rabiem excutiant, pelagique procellas,
Ictuſque frangant fulminum,
Vt Stygios noſtris pellant à ſedibus hoſtes,
Vt fœda tergant crimina,
Cunctantem educant vtero de ſoſpite fœtum,
Matris dolores abrogent.

Flammarum extinguant incendia dira, boniſque
Opes honoris augeant;
Prĕterea mortis horrenda pericula tollant,
Mortis repente concitæ,
Sit victor quiſquis pugnans dat laudis honores
Agnis nouellis debitos,
Exorent nobis dinini numinis auram
Opis ſequeſtres cĕlitum,
Omnia ſint votis noſtris, atque omnia poſſint
Culti fideli Spiritu;
Vt ſunt in ſe ipſis pars totum quĕlibet; vtque eſt
Totum illud abſque partibus,
Hæc rogat, & ſanctis vndis ſimul abluit agnos
Paſtor gregis mortalium.

Hæc porrò omnia ita eſſe procul dubio ab omnibus, pijs credenda ſunt. Quid autem non poteſt fides, ſi tamen cum fide accipiant, & tanquam Deo dignum munus venerentur?

COROL-

COROLLARIVM
PRIMVM.

Ioſephi Mariæ Suareſij Auenionenſis.
DE AGNIS DEI.

VEritas filia temporis eſt, vt dixit quidam veterum Poetarum; itaque tempore, quod ab Onuphrij Panuinij ætate fluxit ad noſtram vſque, multa, quæ latuerant hactenus de Agnis Dei, (ſunt qui vocent amuleta, ſigillaque cerea, ſunt qui cereos globos; orbes, orbiculos, cereas Bullas) reperta longè vetuſtius hoc inſtitutum, quàm videretur, comprobarunt.

Hunc ritum cœpiſſe Chriſti Domini eiuſq; Apoſtolorum temporibus colligit Iodochus Lorichius Tom. I. Theſauri noui Theologiæ in verb. Agnus Dei, ſicut & alias Traditiones ex S.Auguſtino epiſtola cxviij ad Ianuarium, relata in c. illa autem, Diſt. xij.

Scribit VVidmanſtadius Cancellarius Auſtriæ ad nouum Teſtamentum Syriacum, Dilingæ typis Syriacis excuſum, exſtare in Apſi-

de

de Vaticanæ Baſilicæ imagines ſacræ illius ceræ, quas Agnos Dei appellant, quaſque Marcellus Secundus Pont. Max. olim ei priuatus velut argumentum cęremonię ante tempora Conſtantini Magni vſitatę oſtenderit, additque Syros recens baptizatos ſigilla cerea ſolitos accipere, ſed Apſidē Vaticanæ Baſilicæ ab Innocentio III. omninò refectam fuiſſe cõſtat.

Anno à Chriſto nato MDXLIV. die IV. Februarij Romæ ſub Paulo Tertio cum in ſacello Regis Franciæ, quod Sanctæ Petronillæ vocabatur eratq; vbi nũc exſtat Altare SS. Simonis, & Iudæ in Baſilica Vaticana ad fundamēta iaciēda terra foderetur, inuenta eſt arca marmorea, in qua condita fuerat Maria Imperatoris Honorij cõiux, quę Virgo migrauit è vita peracerba morte rapta (Sigonius tamē mulierem cenſet) ea in arca multa inuenta, & inter alia in capſula argentea Bulla earum, quas hodie Agnos Dei vocant, cuius in ambitu ſcriptum erat: *Maria noſtra florentiſſima*. Sebaſtianus Munſterus damnatus auctor li. 2. Coſmograph. Vniuerſalis pag. 148 edit. Baſileen., vbi de ampliatione Vrbis; & Laurentius Surius in Commentario rerum in orbe geſtar. ad Annum MDXLIV.

In Dominica poſt Albas id eſt in Octauis Paſchæ infra Ciuitatem Romanam dantur A-

gni

gni cerei ab Archidiacono in Eccleſia poſt Miſſam, & Communionem populo, & ex eis faciunt infra domos ſuas incenſum accendi ad ſuffumigandum in domibus ſuis pro quacumque neceſſitate. Ordo Romanus, quem teſte Cardinale Baronio Tomo viij. Annal. Eccleſ. ad A. DCXCII. conſtantior opinio eſt à Gelaſio I. Papa collectum, ſicut coniecerat Hittorpius in præfatione Librorum de Diuinis Officijs.

Eadem refert Flaccus Albinus, aliàs Alcuinus Caroli Magni præceptor libro de Diuinis Officijs, vbi de Sabbato Sancto Paſche, additque Agnos, quos Romani faciunt, Agnum pro nobis factum immaculatum deſignare, quibus S. Gregorius oleum inſtituit, ſiue (vt apud Amalarium legitur) infudit, quando myſteria Paſchalis Agni reſerauit.

Nonnulli putant hunc ad ritum ſpectare Canonem lxxxII. editum in Quiniſexto Trullano Conuentu, quem reſtituit, & exponit rectè Cardinalis Bellarminus lib ij. c. viij. de Imaginib. ſancti ex actionibus II. IV. & VI. ſynodi VII. & de quo Cardinalis Baronius tom. VIII. ss. ad A. C. DCXC. & Ant. Auguſtinus Dialogis VII. & VIII. Libri prioris de Emendat. Gratiani.

Anno Chriſti DCCXVI. huiuſmodi cereum

Agnum

Agnum à Leone Papa III.miſſum fuiſſe ad Carolum Magnum tradunt ex Apoſtolico Regeſto Horoſcius, Fruſius, & alij

Amalarius Fortunatus Albini diſcipulus poſt annum Chriſti DCCCXXXIII. libro 1. de Offic. Eccleſ. ad Hludouicum Pium Imperat. cap.xvij ex Romano Libello recenſet hunc ritum benedicendi ceram oleo miſtam, indeque faciendi Agnos.

Sabbato de Albis manè ad miſſam ſtatio Lateranenſis, vbi Dominus Apoſtolicus cantat Miſſam, & poſtea, dum Primicerius cum ſchola cantat (Agnus Dei) Domnus Apoſtolicus expendit, ſeu diſtribuit (*Vt Cencius ſcribit*) Agnos per populum hac ratione, vt ſicut filij Iſrael in Aegypto poſiti præcepto Domini de ſanguine immaculati Agni in liminibus domorum ſcripſerunt hoc ſignum † ſeu T, ne ab Angelo percuterentur, ita & nos de ſanguine paſſionis immaculati Agni Chriſti debemus hoc ſignum ſcribere in limine domorum noſtrarum per fidem, ne à Diabolo, & à vitijs percutiamur; & à poteſtate Diaboli liberemur.ſecundò propter Infantes nouiter baptizatos deponentes veterem cunicam, qui annuntiant Alleluia, id eſt, gloriam beatitunis cæleſtis patriæ: tertiò, quia quicumque habebit de cera prædictorum Agnorum, &

ex

ex ea in domo ſua Crucem habuerit, vel ſecum portauerit, non lædetur ab aliquo phantaſtico ſpiritu, & à tonitruo. Benedictus Canonicus S.Petri in Libro Cæremoniarum conſcripto Anno Chriſti MCXL. m. s. in Bibiotheca Barberina. Hæc eadem exſcribit Cencius S.R.E. Camerarius, qui ad Pontificale culmẽ euectus Honorius III. appellatus eſt in libro Rituali, (quem vetuſtiſſimum, & ante annũ Chriſti MCXCII. in Eccleſia Romana vſurpatum inſeruit volumini ſuo de Cenſibus Eccleſiæ Romanæ, & cuius exemplum exaratum calamo extat in Bibliotheca Barberina) adijciens notandum, quod Acolythi Domni Papę prædictos Agnos Dei debent facere, ab altari Sancti Petri x. libras cerę recipientes, & præſentare Domno Papę hora ſupradicta; debent etiam de prędictis Agnis Dei plenam ſcutellam argenteam Domno Papæ, dum comedit, pręſentare, & aliam Camerario familiæ diſtribuendam.

Fusè de his Agnis Dei è cera noua benedicta, vel Cerei Paſchalis admiſto Chriſmate confectis, & diſtribui ſolitis à Papa Guillelmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus agit lib. VI.c. lxxix. & cxv. in Rationali Diuinor. Officior. quod collegit Anno Chriſti MCCLXXXVI. vt ipſe teſtatur lib. viij cap. ix.

M.S.

M. S. Liber ceremoniarum Romanę Curię ęuo Martini Papæ V. vt videtur concinnatus in Bibliotheca Barberina tit. de his, quę fiunt Sabbato in Albis, recenſet, & perſequitur omnes ritus, qui ſpectant ad Agnos Dei, annotans Clementem Papam Sextum Anno Domini MCCCL. dediſſe cuilibet Cardinali tres Agnos Dei licet tempore Ioannis Papæ XXII. & Benedicti Papę XII. non eſſet conſuetum dare niſi duos Cardinalibus, & Prelatis, & tit. de his quę ſunt neceſſaria pro Agnis Dei, deque modo eos conſecrandi, vbi (antequam narret quod Auctor ceremoniarum S.R.Eccl. lib 1. 1. de Conſecratione: ac diſtributione Agnorum Dei fusè ſcribens, tradit ſe legiſſe ab Vrbano Quinto Pont. Max. miſſos ad Imperatorem Grecorum tres Agnos Dei cum verſibus relatis à Panuinio) exemplum hoc ſchedulę valuis affigendę inſerit.

Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus D. Martinus Diuina prouidentia Papa Quintus intendit in die Iouis proximo inſtanti cõficere, & conſecrare ſacrum Chriſma, & ſacros Agnos Dei, & alia ſolemniter facere, quę Summi Pontifices ipſa die poſt ſuam Conſecrationem de ſeptennio in ſeptennium facere conſueuerunt. Quare omnes volentes habere Agnos Dei deferant bona hora ceram albam pu-

puram, & mundam, nec cum alia intermiſtã ad domum Domini N. noſtri Subdiaconi, aliàs, nullo modo recipientur, vel ſi prædiligant portent pretium ad Altare Beati Petri Principis Apoſtolorum: & conficient illam ceram cum Chriſmate quod remanſit anno præterito, vbi ponuntur illa ſigilla cum formulis ad hoc inuentis.

Idem Auctor Cæremoniarum li. II. ſectione ſecund. cap. v. commemorat Paulum Secundum Papam, cuius tempore vixiſſe ille videretur, poſt prandium diſtribuiſſe Agnos Dei Populo Romano, & omnibus vtriuſque ſexus ad Palatium venientibus. Iacobus Cardinalis Papienſis in epiſtola ad Aelianum Spinulam hæc ſcribit: Pontifex, Paulus, à quo filium iam recepiſti munere ad Te mittit hunc Agnum Dei circũcluſum auro, & vnionibus tredecim. ſacratus eſt manibus ſuis, & ex illo numero ſumptus, ex quo munerari Reges eſt ſolitus, donum pretio, non magnum, virtute, & gratia maximum, id agit videlicet ſancta eius dignatio, vt memor ſis eius, vt pignus in Sacrario teneas ſui in Te animi, & cuſtodem denique continuum habeas vitæ, & rerum tuarum; accipiendus oſculo eſt, cum deuotione ſeruandus, virtuti eius credendum, & in comitatu habendus, ſi quando terra peregrinaris

ris vel mari; linitus eſt Sacramentali liquore, benedictus voce, & manu Vicarij IESV CHRISTI, myſterioque magno verborum ſacer identidem factus, ſi credes, in omnem caſum fidum præſidium tenes. Age Pontifici gratias pro reddito filio, & pro hoc dono, in vtroque illi es debitor, quia in vtroque Te exiſtimauit, non cuiuis ambo hęc obtigiſſent. hactenus eruditus Cardinalis.

Qui deſiderat plura conſulat ſermonem de Origine Agnornm Dei conſcriptum Italica lingna à Fratre Vincentio Bonardo Epiſcopo Hieracenſi, Orationem Ioannis Molani de Agnis Dei, quæ partim eſt ipſius partim Gerardi Buſæi, in qua referuntur verſus Vrbani Papę Quintl à G. Eſtio perpoliti; Andreæ Fruſij carmen de Agnis Dei; Cardinalem Baronium to. 1. Annal. Eccleſiaſt. ad annum Chriſti LVIII. Ioannem Horoſcium lib. 1. Emblemat. Moral. cap. III. Iodochum Lorichium L.L. vbi arguit obſtetricum prauam conſuetudinem; Iac. Gretſerum in Examine Myſt. Pleſſ. c. lx. & lib. de benedictionibus; Ioſephũ Vicecomitem lib 5. de Rit. Ant. Bapt. c. lI. vbi carpit Cartagenã quod laudet perperã Optatum, ipſe vero laudat Antiquitatum Liturgicarum Auctorẽ.

Adeat

Adeat præterea Ioan.Anton.Gabutium lib.II. cap.XI. de vit. & reb. geſt. Pij Papæ V. & lib. VI.c.I.Cornelium Schultingium part.I.Tom. iij.Bibliothecæ Eccl. de Octaua Paſchæ, Martinũ Delrio lib.I. Diſquiſ.magic.cap.IV. quęſt. IV.& lib.VI.cap.XII.ſect.III.quęſt.III.& cap. III. ac paſſim; Petrum Thyræum part. III. de Dæmoniac.cap.xlv.& lib.I.de Spirit. apparit. cap.XVI.& de Locis infeſtis part.III. cap. lxIx.& lxx. Andream Piſcaram in Praxi Cæremoniar. lib.iij.ſect.IX. cap.iij. &c.

Legat denique Florianum Canalem in Tractatu de Benediction.& Conſtitutiones Gregorij Papæ XIII.ne pingantur,neue proponãtur venales,dat.Romæ An.Chriſti MDLXXII & Pauli V. Papæ, qua ſacrum opus,munus,officium Agnos Dei in cera ſignandi, & fractos renouandi demandatur perpetuò Monachis dumtaxat Congregationis Beatæ MARIAE Fulienſis in Vrbe Ciſtercienſis Ordinis S. Benedicti,cum Notis P.Matthæi,& aliorum. Ac potiſſimum, ea quæ R.D. Andreas Victorellus vir Antiquitatis Eccleſiaſticæ peritiſſimus annotauit ad vitam Vrbani Quinti ab Alphonſo Ciaconio relatam in Vitis Pontificum,quę rurſus in lucem prodibunt caſtigatæ, & locupletatæ, ibique verſus incerti Poëtæ de Agnis Dei promptos e M.S. Codice.

COROLLARIVM

SECVNDVM

Ioſephi Mariæ Suareſij Epiſc. Vaſionenſis *DE AGNIS DEI.*

OBſcura, & tenuia plerumque videntur initia rituum eccleſiaſticorum, quando eorum origo inueſtiganda eſt, & repetenda vel à Chriſto Domino, vel ab ipſius Apoſtolis, atque Diſcipulis, qui ſcriptis omnia non conſignauerunt, ſed plura viua voce, quaſiquè per manus tradiderunt, vti liquet e c. 1. epiſtolæ ſecundæ S. Pauli ad Timotheum, vbi ſcribit: Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti in fide. & e c.2. ad Theſſalonicenſes ſecundę: Tenete Traditiones, quas accepiſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam meam. Illorum verò, qui ſcripſere Codices benè multi furore, ac rabie Tyrannorum aduersùs nomen Chriſtianum ſæuientium, perfidiaquè Traditorum abſumpti flammis exciderunt; ſic fundamenta ædificij tam ſpectabilis, altiùs abdita, defoſſaquè, imò & compreſſa delite-

ſcunt.

ſcunt. At ſacri ritus, qui tenebroſis in cryptis fouebantur, inter carcerum preſſuras, & horrores cruciatuum, Diuino conſeruati nutu, mox parta Eccleſiæ pace, inde feliciter emerſerunt, atque publico ſuccreuerunt bono, Spiritus ſancti ductu ſpirantis vbi vult, & adaugentis ornatum, mundumquè ſponſæ ſuæ mira varietate, ac per chariſmatum quaſi alluuionem latenti nonnunquam incremento, interdum fluminis impetu, ac diluuio lætificantis ciuitatem Dei. Certè cum ad cultum Diuinũ cereos ibi cœperunt fideles accendere, non tantum mortalium ex oculis diſcuſſere tenebras ſplendore luminum, ſed etiam depulſam ex humanis mentibus errorum caliginem luce fidei ſignificarunt; dumquè cereus paſchalis illuxit in dierum Dominicorum prototypo prælatus à Chriſti cultoribus, paſſim ex ipſo particulæ, atque fragmenta conſueuerant eximi, geſtariquè ad calamitates auertendas, & amoliendas procellas, ac immiſſiones, quibus per Angelos malos mulctat iratum Numen populos luxuriantes; tunc Agnorum vſus in Eccleſia Romana potiſſimum inoleuit. quod vt oſtendam luculenter, nonnulla præfabor.

CAPVT PRIMVM.

APud antiquos Romanos in Saturnalibus inter apophoreta, ſeu munuſcula, cerei à clientibus miſſitari ſolebant patronis, e Publicij Tribuni plebisſcito; fuerat hic mos inſtitutus ab Hercule, cum docuit Italos vice humanarum victimarum, quibus impiè atque crudeliter Saturno litabant, offerre oſcilla, quę arte ad humanam effigiem ſimulata erant, accenſis luminibus e cera, imò ſimulacra hominum duo, vnum cereum, & ſtramineum alterum, e ponte Miluio in Tiberim deijcere, vti tradũt Plutarchus περὶ λάθε βιώσας, Lactantius lib.1. Diuin. Inſtit. c.21. Ouidius in Faſt. Lipſ. lib.1. c.16. Saturnal. ſermon. Card. Baronius in Notis ad Martyrol. Rom. 2. Februar. Homines quidem & lumina φώτων nomine Gręci nuncupabãt, iſta quaſi φάινοντα, id eſt, lucentia; illos quaſi φῶντες, ſeu φάντες id eſt, loquentes. Feſtus, Varro lib.4. de Lingua Latin. A. Gellius lib.19. c.9. Noct. Atticar. Macrobius lib.1. c.7. Saturnal. Muret. c. 7. lib. 7. var. lect. Valerianus lib.4. Hieroglyph. S. Gregorius Nazianz. Homil.40. in Sanctum Baptiſm. Raderus in Martial. lib. 10. Epigr. 73. & lib.14. Epigr.38. Adhibitos etiam cereos in Chloridis, ſeu Flo-

ræ ſacris, conſtat ex Epigrammate prompto e vetuſto Codice Cuiacij, quod inter alia incerti poetæ reperit etiam apud Gnoſium Stephanus Clauerius, vt inquit, in ſuo Claudiano, de Cereo.

Flora venit. quæ Flora? Dea. an de gente Latina?
Non reor, at Chloris dicta per arua fuit.
Huius in aduentu radiant de more lucernæ,
Nam nitet, atque hilarat Numine cuncta ſuo;
Cerea materies Apibus debetur amicis,
Floribus, atque hortis ſis, precor, æqua meis.

Hæc ſacra Floræ Floralia dicta, & inſtituta vt omnia benè efloreſcerent, IV. Kal. Martij peragebantur à Romanis Oraculorum Sibyllinorum monitu. Alia erant Floralia obſcæna, de quibus Roſinus lib. 5. Antiq. Roman. c. 15. & Cuiacius in Nouell. 105. & quæ meritò fuerunt antiquata. Exaduerſo penes Hebræos vti mel non efferebatur in ſacrificijs, ita cera non lucebat in Tabernaculo, ſed reſpuebatur. obſeruat id Sanctus Hieronymus in XI. manſione, & in epiſt. ad Gaudentium, vbi ceram abs Iſraelitis contemptam aſſerit, quia dulce continet, hoſpitiumquè mellis eſt; mel autem habebatur voluptatis, atque deliciarum ſymbolũ, Eucherio authore quæſt. 34. vet. ac nou. Teſtam. Innuit id Rabanus, & gloſſa in c. 24. lib. 1. Regum, vbi narratur Ionathas parum mellis guſtaſſe, atque mori. & in c. 15. Prouerb.

ſuſiuſquè diſſerit Valeſius lib. 1. de ſacr. philoſ. c. 16. vnde ſcriptor epiſtolæ de Cereo Paſchali ad Præſidium Diaconum, falsò attributæ Sanctò Hieronymo, inſertæquè tomo 4. Operum (vti Poſſeuinus notat). Lege (inquit) Pentateuchum, Inſtrumentum percurre vetus; nuſquam in Dei ſacrificijs mella, nuſquam ceræ vſum, ſed lucernarum lumina, & oleo fotos videbis igniculos. In Eccleſiæ verò cunis, & faſcijs mel dari Catechumenis conſuetum fuit; celebratque ſocietatem, & concordiam mellis, quod illi prægustabant, Tertullianus lib. 1. de Corona militis, & lib. 1. cap. 4. adu. Marcion. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagog. c. 6. & ipſe S. Hieronymus c. 7. adu. Lucifer. Albaſpineus Epiſcopus Aurelianenſis c. 8. lib. de antiq. Eccl. polit. & in Nott. ad Concilia, & Tertullian. Quin & Panuinius bis ſuperiùs illius meminit. Quæ conſuetudo etiamnum ſeruatur ab Aethiopibus, vti conſtat ex Ordine Baptiſmi, tomo 6. Bibliothecæ Patrum intexto, & e Vicecomite lib. 5. de Ritib. Bapt. & e Caſalio lib. de Ritib. vet. Eccleſ. accenſebatur camellis delibatio inter minora ſacramenta, idquè iam adnotaui. Neque ſolùm lampadũ, ac lucernarum, quæ oleo nutriebantur infuſo, vſum à Iudæis acceptum retinuere Chriſtiani, adauxere inſuper, & plurimum nobilita-

lita-

litauere, Cicindelis, Capitulatis, Cantharis, Pharocantharis, Coronis, & Lychnorum, ſeu lucernarum bimyxarum, ac polymyxarum varijs generibus excogitatis, de quibus Raderus in Martial. Epigr. 37. lib. 14. In ſermone 215. de Tempore S. Auguſtini (quem Vverlinus in Criſe, & Vindingus in Critico caſtigato abiudicant, quam iuſtè, in Chronologia Operum S. Auguſtini diſquiro) legitur. Qui poſſunt aut cereolos, aut oleum, quod Cicindelibus immittatur exhibeant. Sunt Cicindelæ, Feſto, candelabra. Martialis lib, 14. Epigr. 36. ita canit de Cicindela (nam perperam ſcribitur Cãdela, egebantquè verſus Machaone. *Ancillam tibi ſors dedit lucernam, totas quæ vigil exigis tenebras.* Gregorio Turonenſi lib. 4. c. 31. Hiſtor. *Cicindelem exſtinguere voluit*; Auctori vitæ S. Cæſarij Arelatenſis in Chronol. Lirineñ. *dum Cicindelam concinnaret.* In charta Tiburtinæ Donationis, à me prolata, donantur *Cicindelæ argenteæ cum catenulis ſuis.* Licinius quaſi Lucinius eſt cicindela lucernæ Iſidoro lib. 20. c. 10. Origin. Roſvveydo ad v. Idus Decembris in Martyrol. Adonis. Fulbertus Carnoteñ in epiſtola ad Odilonem *ardentes Cicindelas Virginum* vocat, quæ vaſa lampadum in Euangelio S. Matthæi dicuntur. Ita nuncupatæ fuerũt iſtæ lucernæ, quia ſcintillant quaſi

Lampyrides, ſeu vermes ignium more lucentes noctu per æſtatem, & ſtellantes volatus, atque noctilucæ, ſiue nitedulæ, quæ Ariſtoteli Pyrolampides, & de quibus copioſè agit Plinius lib.11.c.28.& lib.18.c.26. Nicetas etiam in Hiſtor. & Gaudentius Merula lib.1.de Gallor. Ciſalpin. Antiquit. c. 2. Non deſunt qui Cicindelas exponant penſiles Lychnos pernoctes, ſeu Lampadas, quæ tota nocte ſeruantur accenſæ. Adnumerat S. Auguſtinus epiſt.165. ex Actis proconſularibus Diocletiano Imperatore confectis, inter vaſa, quæ ad miniſterium Eccleſiæ compoſita fuerant, *Capitulatam, & lucernam argenteam*. Erat (inquit Cardinalis Baronius in Notis ad 7. Auguſti in Martyrol. Rom.) Capitulata illa, quæ multa haberet capita, & quam dicimus hodie *Lampadario*. De Cantharis, Pharocantharis, Coronis, atque diuerſis Lychnis, & lucernis ex Anaſtaſio Bibliothecario Bulengerus affatim in libro de Donarijs Pontificum, ſicut Angelus Roccha in Notis ad S.Gregorij Donationes, vbi de Luminaribus, & Loayſa in Concil. Hiſpan. præcipuè in Notis ad c. 7. Concil.1. Bracareñ, & c. ſecundum ſecundi, & c.2. Toletani ſub Recaredo, de Lampadibus S.Petri ſupraſcriptus Roccha, in quibus adiungebatur odor ſplendori, & olei vice infundebatur Opobalſamum, vt li-

quet

quet ex Anaſtaſio in S. Silueſtro, & e Cardinale Petro Damiani lib. 1. epiſt. 20. ad Cadaloum. qua de re Sidonius Apollinaris lib. 9. epiſt. 13. Lampridius in Heliogabalo, Torrigius in Crypt. Vatican. & Cardinalis Baronius in Annal. ad annos Chriſti 44. 58. & 324. Erat & oleum Nardinum, quod Pharo aureo collocato ante altare Lateranenſe ardebat ex dono Conſtantini, vt Anaſtaſius tradit.

CAPVT SECVNDVM.

ACcenderunt etiam Chriſti cultores ante tumulos, & imagines Martyrum cereos, frendente nequicquam Vigilantio, quem refellit egregiè S. Hieronymus in epiſt. ad Riparium. At ego (ſcribit Gregorius Turonenſis lib. 2. c. 2. de Vita S. Martini) in vita B. Martini Antiſtitis confiſus vnum e cereolis tranſmitto per puerum, dicens, accendite illum coram eo, & in contemplatione luminis orationem fundite apud Dominum ante imaginem ſupraſcripti S. Martini. *Lychnus adeſt, cuius vitrea natat ignis in vnda*; canit Paulinus Petrocorienſis apud Cardinalem Baronium ad annum C. 400. vbi de oleo ſalubri oculis, vti Fortunatus apud Petram ſanctam, de oleo S. Stephani Martyris ſuſcitante mortuum, ex Euo-

dio

dio Vzalenſi penes S. Auguſtinum lib. 32. de Ciuit. Dei c.8. diſertiſſimè Petraſancta tom. 1. c.53. & tom.2. c.8. & 9. Thaumaſ. cereos, & lychnos, quibus illuſtrantur Eccleſiæ, vult eſſe inſtar holocauſtorum. Prætulerunt & in funeribus ſcolaces, voce à Græcis deriuata, nempe ἀπὸ τοῦ σκολιεύειν, id eſt, intorquere, vulgò vocamus intortitia, ſuntquè intortæ faces funibus cera, pice, ac reſina illitis, quæ funalia noctem vincentia cõpellantur à Virgilio. Sic e gloſſis Iſidori, & e Pithæi excerptis, ac e Cardinale Petro Damiani Opuſc. de S. Simplic. c. 8. legendum ſcolaces in Actis S. Cypriani, non ſcholares, vti ſubſtituerat Cardinalis Baronius ad Martyrol. 6. Februar. quod παρόραμα tanti viri arguit Roſvveydus in Martyrol. Adonis 18. Kal. Octobr. ex Iſidoro lib.20. c.10. Origin. iunxeruntquè ſcholacibus cereos. In trãſlatione corporis S. Ioannis Chryſoſtomi geſtatæ fuerunt accenſæ faces, & ardentia funalia, ipſiquè ſancto fuit oblatus cereus à populo, vt ex oratione Coſmæ refert Cardinalis Baronius ad annum 438. Santorellus probat cereos prælucentes in pompa funebre delatos lib. de medicand. defunct. c. 30. & Durantus lib. 1. c.23. de Ritibus ſacris, e S. Gregorio Nazianzeno Orat. 10. in qua narrat Cæſarium fratrẽ elatum matre Lampadas ferẽte. De luminibus

ac-

accenſis ſuper aurea candelabra circũ cadauer Conſtantini Magni, vide Euſebium in libro de Vita Conſtantini c.66. Idem Gregorius Orat. 4. in Iulianum retulit Conſtantium Auguſtum demortuum translatum cum hymnis pernoctando, & cum δᾳδουχίαις, quibuſcum ſolent Chriſtiani pium obitum honore proſequi. Illiberitani, ſeu Elibertini Concilij Patrum mẽtem in canone 34. ſeu 37. quo vetant cereos in Cœmeterijs accẽdi, ne inquietentur Sancti, haud aſſequutus Hurtadus Mendoza in volumine de Martyrio, ipſum de fratrum ingreſſu, & egreſſu exponit. Innuunt enim Patres illi perſequutorum Ethnicorum rabiem irritari, & exaſperari, quoties animaduerterent à Chriſtianis cereos, vel lychnos in Cœmeterijs accẽdi, & ita Sanctos inquietari Gentilibus irruentibus, & furentibus perinde ac ſi fieret id ad ipſorum æmulationem, vel irriſionem; ſoliti enim fuere Pagani lucernas ad ſepulcrales cippos accendere, vti liquet e Iuriſconſultis in l. Mæuia D. de Teſtam. manum. inque ſolemnijs funerum candelas vſurpare. Pangit quippe Iuuenalis. *At Tuba, candelæ, tandemquè beatulus alto Impoſitus lecto.* & hoc euincit Sanctæ Emerentianæ Martyrium ad S. Agnetis collactaneæ ſuæ tumulum, ad quẽ Chriſtiani concurrebant conſiſtentis, & occiſæ, e Bollando

c.3.

c.3. Actor. S. Agnetis Tom. 2. ad 21. Ianuarij poſt S. Ambroſium; ſed illuſtrant canonem illum Ferdinandus Mendoza, & Albaſpinæus, vt Iſæus Lactantium lib.6. c.2. Diuin. Inſtitut. Demonſtrat idem Durantus illuxiſſe cereos in ſacris Eccleſiaſticis lib.1.c.8. de ſacr.Ritib.Victor Vticenſis,ſeu Vicenſis lib.1.de perſequut. Vandal.miſcet cereis Lampadas;& Procopius lib. 3. de bell. Vand. in Eccleſiæ S. Cypriani reſecratione (reconciliationem vocant) lychnos præparatos, & accenſos, vti Lampadas diuinitus in S. Agathæ S. Gregorius Magnus aſſerit lib. 3. c.30. Dialogor. neque tantum in Miſſarum Veſpertinarum ſolemnijs, aut in cryptis, defoſſiſquè altè ſpecubus, dum præ Tyrannorum metu latitarent ibi Chriſticolæ, humi ſcilicet reconditi, vt inſtar generoſorum ſeminum iactorum, opertorumquè tellure feraciùs e ſulcis illis erumperent,vberiuſquè germinantes effloreſcerent in frugem Cœleſtibus horreis inſerendam, adſtabant *auro fixi cerei*, vti teſtatur Prudentius in hymno de S. Laurentio, *quò tenebræ ſolatio lucis temperarentur*, e S. Hieronymo contrà Vigilantium; verum etiam per totas Orientis Eccleſias, quando legendum erat Euangelium, accendebantur luminaria *iam Sole rutilante, atque clara luce*, non vtique ad fugandas tenebras, ſed in læti-

tiæ

tiæ ſignum, & quia Idololatriæ caligo diſcuſſa fuerat Euangelij iubare. Cauetur canone lxxij. Apoſtolorum, vt ſi quis Clericus, vel Laicus à Sancta Eccleſia ſurripuerit ceram, vel oleum, e conſortio ſeiungatur. vnde patet Chriſtianos oleo, ceraquè promiſcuè vſos eſſe. Cereos ſuper altare collocatos S. Ioannes Chryſoſtomus Homil.24.in Geneſim indicat. Succinitquè Drepanius. *Inſerimus claros ſanctis altaribus ignes, Veſtibus innumeris tereti circumflua gyro. Aequoream cohibet formatrix cera papyrum.* & mox, *Annula ſydereis vigilant funalia flammis.* S.Gregorius M. Expletis (inquit loco prolato) Miſſarum ſolemnijs, extinctiſquè lampadibus, cerei autem in Miſſis accenſi gaudium Orbi terrarum affulgens in Ortu Chriſti, quod Angelus annuntiauit Paſtoribus, ſignificat, teſte Timotheo lib. de ſacrif. Miſſæ. Lychniquè, ac faces ardentes denotant nos debere flammis flagrare Diuini amoris, e Goropio lib.7.Hermatheu. Erant indices lætitiæ cerei incenſi, & honoris quoque cauſſa præferebantur, nam excipiebantur cum lumine multo Auguſti, ex Ammiano lib. 1. Antiochus Rex Syriæ ab Iaſone Pontifice Hebræorum fuit exceptus cum luminibus facularum c. 4. lib. 2. Machab. exponit vir eruditus μετὰ δαδουχίας καὶ βοῶν, e Plutarcho in Antonio, qui

Athe-

Athenas ingreſſus eſt *ἀπὸ τῶν πηγῶν λαμπάσι διαδουχομένης τῆς πόλεως* facibus e tectis per Vrbem fulgentibus, imò illuminata lampadibus Vrbe quaſi facibus, vt Imperatoribus à Lampadario, eorumquè vxoribus, vel ſororibus, Conſulibus, & Procoſs. Principibuſquè viris ignis olim prælatus fuit in ænea lampade ex Guid. Pancirolo in notit. Orient. c.65. ſeu in batillo, aut ardentibus tædis, ita Patriarchis, & Epiſcopis e Codino lib. 3. c.1. de offic. aul. Conſtantinop. & Balſamone, & Gretſero, Caſaubono in Sueton. c.13. Caligul. & S. Ioanne Chryſoſtomo, adde Turnebum lib.1. c.28. Aduerſar. ex Horatio, Herodianum lib. 4. & 7. & Satyrographum. Monachorum multitudo procedens cum hymnis, & cereis deſcribitur in Actis Epheſinæ Synodi ad annum 431. à Cardinale Baronio in Annal. ardebant in Cōcilio Chalcedonenſi cerei. ex Actis. in Notitia vtriuſque Imperij menſis, in quibus Latercula præfectorum, & magiſtratuū diſpoſita ſunt, depicti radiant cerei collucentes ſuper candelabris, reuerentiæ, ac maieſtatis ergo. vide Sanctum Athanaſium in epiſt. ad Orthodoxos circà principium.

CA-

CAPVT TERTIVM.

IN Græcorum Τάξει, ſiue Miniſterio Hierarchico Καιδηλάπτης erat, ita dictus à cãdelis aptandis, ſiue accendendis, Meurſ. in Gloſſar. Græco-Barb. qui fuit & λαοσυνάκτης Gretſero lib. 1. c. 11. de offic. aul. Conſtant. Codin. At in Eccleſia Romana Ordo eſt Acolytatus inter minores, vt vocant: Ακόλυτοι Grçcis fuere illi Stoici, qui putabant eſſe turpe mutare ſententiam, nulliſquè poterant minis ab inſtituto reuocari, vel dimoueri. laudatur quidem Fabritius à recto non deflectens, ſicuti nec Sol à ſuo curſu ſe auertit, & celebratur ab Horatio vir iuſtus, ac propoſiti tenax. Plato tamen hominem ἐυμετάβολον ζῶον eſſe dixit, & ſapientis eſt mutare conſilium. hinc ad Lentulum ſcripſit Cicero lib. 2. epiſt. Si recta portum nequeas tenere, idipſum mutata velificatione aſſequi contende; cum autem libertatem affectarent Stoici e Cicerone, ac Plutarcho, verè liberos eſſe ſe putabant, quia prohiberi non poterant ſecundum Epictetum c. 2. & 20. Enchirid. & Arrianum lib. 3. c. 26. nec diſſuaderi, Sciopp. c. 130. Elementor. Philoſ. Stoic. Moral. A Stoicis igitur hiſce ſunt qui acceſant etymon Acolytorum, quod hi nullis terro-

terroribus adduci poſſent vt à fide deſciſcerent; ſed conſtantes in eius confeſſione, vnanimeſque perſeuerarent. Alij manaſſe volunt id nominis, quia licet hic ordo non accenſeatur ſacris, ſed illo inſigniti certum tantum habeant officium, non poteſtatem, neque ius vllum in ſubiectos; non vetantur, neque prohibentur in ſacris miniſtrare, nec ab illis excluduntur, ſed ſunt ſacrorum adminiſtri, & adnumerantur inferioribus Ordinibus; vnde à S. Ignatio Antiocheno fuerunt omiſſi, vt obſeruat Cardinalis Baronius. Demum arbitror ipſe ἀπὸ τȣ̃ ἀκολȣθεῖν Acolythorum nomen deductum, quia ſunt aſſeclæ Acoluthi Diaconorum. ſic Acoluthus dicitur, qui vbique ſequitur Imperatorem, aut eo abſente honoratior, Codino, & ſeruus ponè ſubſequens apud Heſichium, & in Etymologico: ου autem Græcum per u Latinum effertur, ſicut υ Græcum e MetKerchio apud Pamelium in Tertullian. de ſpectac. ſic Κόλȣθος Poëta Aegyptius ſcriptor ἁρπαγῆς τῆς Ελένης, quæ per Cardinalem Beſſarionem innotuit, Coluthus à Latinis appellatur. Hi miniſtri ſiue Acolythi nuncupantur etiamnum à Græcis Δεποτάτοι quaſi Deputati, ſeu κηροφόροι, teſte Iacobo Goar in Notis ad Euchologium, vbi profert εὐχὴν, quæ ſuper illos funditur, Latinis vocitantur & cero-

fera-

ſerarij, de quibus Lacerda c.21. Aduerſariorũ ſacr. geſtant enim manibus cereos, & candelabra, præferuntquè Diacono legenti Euangelium, hocquè ipſorum præcipuum eſt munus e Concilio Tridentino ſeſſ. 23. c. 17. de reformat. & ſequuntur Diaconos: tenebant patenã inuolutam, dum recitabantur verba Canonis, e Micrologo c. 18. de obſeru. Eccleſ. & e Gemma de antiq. Ritu miſſæ lib. 1. c. 48. pertinet ad illos præparare aquam, & vinum in vrceolis pro Miſſæ ſacrificio, eoſquè ad altare deferre, Diaconoquè tribuere, e doctiſſimo Cardinale Oregio Theolog. Summ. par. 3. Tract. 2. In primis autem decet vt ferant duos cereos ad Euangelium, dein illos deponant, vt legitur apud Iſidorum lib. 7. c. 12. Etymol. ex Ordine Romano, Alcuinum, atque Amalarium lib. 3. c. 18. & lib. 2. c. 17. de offic. Eccleſ. ſecundum quem duo illi cerei Legem deſignant, & Prophetas, qui præceſſerunt, & præmonſtrarunt Euangelium; agitur ibidem de ſeptem cereoſtatis, quæ ceraptata in Chronico Caſinenſi lib. 1. c. 31. & lib. 2. c. 100. at apud Anaſtaſium ceroſtata, & ceroſtatæ, in Vigilio, & paſſim, Flodoardo Ceroferaria in vita S. Remigij, & lib. 1. c. 19. Hiſtor. Rem. Græcis κανδηλάβρια e Leunclauio lib. 2. Notator. ad Paratitl. & e Meurſio. Candelabra ſeptem in altari

 locan-

locantur,quoties Põtiſex ſolemniter celebrat, & à ſeptem Acoluthis totidem cum accenſis cereis deferuntur, vt exprimat filium hominis in medio ſeptem candelabrorum à S. Ioanne viſum c. 1. Apocalypſ. Epiſcopi Græci ſacris operantes vna manu *δικήριον* ſeu cereum bifidum, altera geſtant *τρικήριον*,ſiue triformem, illo duas Chriſti naturas, iſto Trinitatem perſonarum deſignantes e Symeone Theſſalonicenſi libro de Sacram. De candelabro aureo, quod conflari iuſſit Moſes, deque x. candelabris Salomonis Morinus diſſerit in Pentat. Samar. Scotulam inſtrumentum dici, cui candela imponitur ad legendum, docet Gloſſarium vetus exaratum calamo in membrana poſt Alcuinum, e Monaſterio S. Andreæ ſecus Auenionem, fortè quaſi *σκότον ἐλαύνει*, id eſt, tenebras pellat. Ibi Lucubrum explicatur lucerna lucens in tenebris;hinc nomen lucubrationes ſortiuntur, quæ ab his, qui oliuo immoriuntur, impalleſcunt chartis, vtque Demoſthenes plus olei quam vini conſumunt, elaborantur. Ioannes quidem de Indagine Cartuſianus oleũ ex Embammate, ſeu ſatyra oluſculorum ſubtrahebat vt in lychno concinnans, & aptans ex illo ellychnium aleret ad ſtudia nocturna, quibus pluſquam Orator ille antelucanã opificum vincebat induſtriam. In Belgio verò

Loua-

Louanij, atque Vltraiecti notiſſimæ ſunt ſtudioſæ vigiliæ Hadriani Florentij, ad Lampadem, quæ ante Sacroſanctam Euchariſtiam penſilis ardebat in Eccleſia, pernoctantis, quibus vir doctus, & integer ſibi viam muniuit, gradumque fecit ad ſummi Pontificatus ſpeculam, in qua conſtitutus Orbi terrarum inuigilaret. memorant Faſti ſacri Martyrologij Romani, S. Tharſicium Acolythum corporis Chriſti ſacramenta portantem, mactatumquè Martyrem æuo Stephani I. Papæ ſanctimonia, & Martyrio quoque inſignis 18. Kal. Septembris; in Menologio 8. Idus Septembris recenſetur Cyriacus Acolythus pro Chriſto Alexandriæ paſſus, vti Baronius refert: ſed de Acolythis fusè S. Cyprianus epiſt. 56. & 78. S. Cornelius Papa in epiſt. ad Flauianum Epiſcopum Antiochenum, S. Silueſter Papa in Concil. Romano primo, Patres Concilij Carthagineñ 4. can. 1. Valentinianus A. in l. Presbyteros, C. de Epiſc. & Cleric. Philo Carpathius in Cantic. & Euſebius in Vita Cõſtantini M. Iodoc. Coccius Tom. 2. Cardinalis Baronius ad annos 44. & 58. Sanctus Martinus ab Hilario Pictauenſi Epiſcopo in Acolythorum numerum redactus legitur, & Gelaſius Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Lucanos in c. ſi quis 3. diſt. 77. meminit Acolythorum. In S. Agnetis Romæ ex-

tra muros legitur Epitaphium Abundantij Acolythi Regionis IV. Tituli Veſtinæ, qui Acolythus erat Regionarius non Stationarius, aut Palatinus apud Boſium in Roma Subterran. Recenſet Simplicius Papa in Epiſt. 41. Caſſiodor. lib. 3. Variar. Eufraſium Acolythum in Vrbe. Archiacolythus præerat Acolythis (erat is Ordo Canonicorum Capuæ) ſeu pueris, ad quos (vt habet Rituale antiquum pertinebat Officium in die feſto SS. Innocentiũ, e Michaele Monachi in Sanctuario Eccleſ. Capuan.

CAPVT QVARTVM.

MVnuſcula varia offerebantur à Virginibus Deo deuotis, cum velarentur. in his erant cerei, vt accenſo lumine ſponſi expectetur aduentus, quod conſtat ex epiſtola Sancti Hieronymi ad Marcellam: adhibentur etiã cerei quoties anathematis ſententia profertur. Vrbanus VI. obſeſſus Nuceriæ ab exercitu Caroli Tertij Regis Neapolitani ter ad feneſtrã quotidie ſe ſpectandum præbebat cum ære campano, cumquè accenſa face militibus Diras intentans, vti narrat Summontius in Hiſtor. Neapolit. Solent Romani Pontifices cum feriunt anathemate impios, & perduelles, ab alta porticu conijcere cereum in ſolum ſubiectum

ctum ita vt exſtinctus,alliſuſquè confringatur præſertim die feriæ quintæ in Cœna Domini, quo faciunt (vt loquitur Bonifacius VIII. in Extrauag.Rem non nouam.de dol.& contum.) proceſſus generales, quia tunc Petrus exemit gladium, & percuſſit Pontificis ſeruum; Papa Petri ſucceſſor ſpiritalem exſerit gladium, ne Malchus impediat Chriſtum. Præthereà quia communio tunc vniuerſis Chriſtianis indicta eſt, ab eaque ſcelerati arceantur potiſſimùm; cuius moris Martinus V. renouator fuit ad reſtituendam Pontificum dignitatem labefactatam,& imminutam diuturno ſchiſmate, (e Coriolan. in Breuiar. Concill. ad annum 1417.) circa 1420. annum edita Bulla in Cœna Domini, diu antè anno 1119. Innocentius II. Odonem de Polo in Cœna Domini excommunicauit, vt Panuinius refert lib.3. m. s. de Gente Fraiapan. deinde Innocentius IV. Fridericum Imperatorem in Cœna Domini, vt auctor eſt Petrus de Vincis lib. 1. epiſt.21. In forma Excommunicationis inſerta Operi Gratiani c.106. debent. 11. q. 3. e Burchardo. debent XII. Sacerdotes Epiſcopum circumſtare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in concluſione Anathematis, vel Excommunicationis proijcere debent in terram, & conculcare pedibus,hodiequè candelæ accendun-

tur. Sua quoque fulmina vibrant Græci Patriarchæ Conſtantinopoli Dominica prima Quadrageſimæ, quam vocant ὀρθοδοξίας, ſed bruta in Latinos, cum legunt Synodicon ſeptimæ Synodi, Gretſero prodente in c.15. Codini. idem obſeruauit Theuetus lib.1. de Vir. Illuſtr. c. 16. feria ſexta magnæ Hebdomadæ Alexandriæ, & Hieroſolymis factitari. Sed de his fuſiùs egi in Honorij Primi Papæ Vindicijs. Omitto quæ de cereis adnotauit R. P. Silueſter Petraſancta lib.2. Thaumaſ. deque lucernis: de cereis in Baſilica Sanctæ Mariæ Maioris, ſeu Liberiana non deficientibus licèt accenſis, diuquè flagrantibus, e Petro Cluniacenſi lib.2. Miracul. c.30 & ſpectra calamitateſquè depellentibus, quæ mira deſierunt in Petri Leonis ſchiſmate: nec immoror in Atrebatenſi cereo, qui quantumuis ardeat, integer perſtat, morboſquè ſanat, ſicut & cereoli ab ipſo exciſi, vt atteſtantur Arnoldus Rayſſius in Hierogazophylacio Belgij, & Aubertus Miræus in Faſt. Belgic. Cereus etiam tradebatur Baptizatis, qui recens ſacris tinctos aquis deſignaret illuminatos fidei radijs, & Diuinæ Gratiæ claritate coruſcare, ipſequè Baptiſmus φωτισμὸς à Græcis dicebatur e Gretſero in Codinum c.9 lib.1. ob cereos, quos Neophyti geſtabant, ita vt luceret via longo flammarum

ordi-

ordine, vtque poſſent verè dicere, Tranſiuimus per ignem, & aquam, Loayſa in Cōcill. Hiſpan. & æmularentur Gedeonis milites, qui tenebant ſiniſtris manibus lāpadas, & dextris tubas ſonantes Iudic. c. 7. Hinc S. Ambroſius lib. 1. de Baptiſm. Sub fidei arbore (inquit) ab vtero innocui cereorum ſplendent ornatus. & Fortunatus lib. 5. carm. 5. de Baptiſm. Iudæorum ab Auito Viennenſi Epiſcopo cōuerſorum canit. *Vndique rapta manu lux cerea prouocat aſtra*. hodieque cereolum Baptizato præbet Parochus, e Rituali. Cerei Neophytorum aquis immerſi Spiritum ſanctum, vel Chriſtū, vel Neophytos ſignificabant. Itaque in ſpeciem lacteæ viæ lacteoli Chriſti alumni procedebant. de Feſto Epiphaniæ, & luminum, in quo Chriſti recolitur Baptiſmus, S. Gregorius Nazianzenus Homilias habuit 39. & 40. agitquè Codinus lib. 3. c. 3. vbi Gretſerus: ſed & Polycandelis vſa eſt Eccleſia ex Anaſtaſio in Leone III. cum catenulis aureis; enumerat in ſacra ſupellectile Victor II. candelas pendentes cum clamatarijs ſuis, ſeu calamarijs, ad exſtinguendum, vel accendendum; exſtinctoria denominauit S. Carolus Borromæus in Concilijs Mediolaneñ, Victoris Diploma exhibet R. P. Vghellus Tom. 1. Ital. ſacr. Pharus Maior Hadriani Primi Papæ fuit in Baſilica Principis

Apoſtolorum, qui conformatus in ſimilitudinem, ſeu typum Crucis pendebat ante Presbyterium, & cõtinebat cereos, ſeu candelas, 1370. atque ipſas cæli faces fermè numero ſuperabat: accendebatur autem quater in anno, nempe Natali, Paſchateque Domini, in Feſto Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & in Pontificis Romani Natali, ſiue inauguratione, ex Anaſtaſio in Hadriano Primo, & Petraſancta. Nicolaus Primus cruces aliquot argẽteas dedit Eccleſiæ Lateranenſi ſingulas libræ vnius, & ſemis, atque hæ candelabrorum inſtar ardebant inſtructæ cereis ante auguſtiſſimam Euchariſtiã in feſtis diebus, vti prodit Illuſtriſſimus D. Cæſar Raſponus in libris, quibus non fulcire modò, ſed in integrum, priſtinoque decori reſtituere Baſilicam illam toto terrarum Orbe celeberrimam, omniumque matricem Eccleſiarum aggreſſus elegantiſſimè id præſtitit. Erant in Baſilicis S. Petri, & Liberiana per circuitum regulæ candelabrorum, ſeu pẽdentes lychni laquearibus aureis incenſi, ex Anaſtaſio in Gregor. III. Virgil. Sidon. lib. 9. ep. 13. Lucret. & Hugon. lib. de Stationib. & c. 5. Daniel. Erant & caniſtra enneaphotia, & hexaphotia, ſeu ennealitra, & hexalitra, forſan enneaphora, ſiue hexaphora, ſex, aut nouem luminum, vel librarum apud Anaſtaſium in

Leon.

Leon. II. & Benedict. III. In Eccleſijs pro reuerentia corporis Dominici perpetuum requiritur luminare, vt ſcribit Olaus Magnus in Hiſtor. Gent. Septemtrion. Sanctiſſimam quidem Euchariſtiam locauit in naui, de Legati Apoſtolici conſilio, S. Ludouicus Rex Francorum, redux e Syriaca expeditione, atque captiuitate, cereis accenſis, qui non conſumebantur, depoſuiſſe Memphi in Conclaui oppigneratam, cereoſque perduraſſe accenſos ſpatio nouem menſium, affirmant Iouius in Elog. Fonſeca par. 1. de Vit. Chriſt. c. 31. & ipſe Serres hæreticus Tom. 1. Inuentar. Franc. fabulam putant. Boſius lib. 19. Hiſtor. S. Ioan. Hieroſol. & Matthieu in Vita S. Ludouici.

CAPVT QVINTVM.

CHriſtiani lucernis, ac lampadibus vſi ſunt perinde atque cereis, tum quia Chriſti Eccleſia ex Hebræis, ac Gentilibus congregata, & coagmentata, Chriſto lapide angulari faciente vtraque vnum; ad Numinis cultum ab Hebræis mutuata eſt lucernas, & lampadas, apud eos enim *diſpoſitæ pingues nebulas oluere lucernæ* ex Satyrico, illique ignaui, & inſenſati, veritate licèt collucente reſidentes in vmbra, & quamuis Sole iuſtitiæ ſplendente, luciſque

radios vndequaque diffundente, hærent affixi lucernario lumini, vt S. Ioannes Chryſoſtomus eloquitur Homil. 39. in c. 16. Geneſ. etſi lucerna illa, quam matutinis, veſpertiniſque temporibus ritu veteri Iudæorum Princeps ſolebat accendere, velut ſub modio ſita Legis euanuerit, vti ſcribit S. Ambroſius in c. 11. S. Lucæ lib. 7. Commentar. Troade in vna Sabbati, ſiue Dominica, conuenerant Diſcipuli cum Paulo ad frangendum panem: erant autem copioſæ lampades in Cœnaculo c. 20. *Act.* Chriſtiani etiam ex Ethnicis cereos, abolita Saturnalium ſuperſtitione, quò traducerentur ad puriores ritus, acceperunt; vel quia cerei vocabantur per ſarcaſmon, atque hoſtilem deriſum, ipſi ob tunicas moleſtas, quibus pice, atque cera illitis induti, fixoque gutture, ſicut Iuuenalis canit, pendebant e palis, vt liquet e Ioſ. Scaliger. in Chronic. Euſebij, & e Scholiaſte Iuuenal. inque vſum nocturni luminis vrebantur, e Tacito. Ideò gaudebant accenſis cereis Deum colere. hinc Iulianus Chriſto perfidus Imperator nolebat palam bellum indicere Chriſtianis: *πάντες γὰρ* (aiebat) *ὡς ἐπὶ κηρίου μέλισσαι ἤξασιν ἐς μαρτύρειον πετόμενοι*, vti refert S. Ioannes Chryſoſt Serm. in SS. Iuuentium, & Maximum. Quamobrem Eccleſia comparatur Apum aluεolo à S. Birgitta lib. 2. c. 9.

c.9. Reuelat.& populus Dei conſiſtens in fide, vt examen apum cereas ædificans manſiones creſcendo,melleis fidei calculis firmatur,apud Victorem Vticēſem lib.de perſequut. Vandal. Hurtadus quidem Mendoza Orat.9 de laudibus ſapientiæ lib. 6. quam hieroglyphice abs apibus notari tradit,Deboræ ſolemne fuiſſe narrat multum operæ collocare in lychnis,cereiſque conficiendis, quibus inflammatis, dies nocteſque religioſiſſima ſana illuſtraret, e ſacrarum litterarum Antiſtitibus,quos cum non laudet, fides ſit penes auctorem. Debora profectò Hebræis apem ſignificat,à Dabar, id eſt, *βόμβειν*, ſeu bombillare. Polluci c. vlt. Onomaſtic. Apes enim videntur in mellificio vti murmure, ac quodam quaſi ſermone. Funger. in Etymol. Triling. in v. Barbarus. E Petro quoque Damiani Cardinale Opuſcul. 18. contra Clericos intemper. diſſert. 3. Pſalmus primus Dauid inſcribitur primario cantori ſuper Nihiloth ſecundum Hebræos, quod inſtrumentum eſt Muſicum, ſic vocatum à ſonoro apum ſtrepitu, & ſuſurro, e S. Epiphan. lib. 3. Panarij adu. Maſſal. & Rodolph. Magiſtr. in Pſalm. qui nulli Muſicæ cedit, ſi credimus Syneſio epiſt. 147. Manna, quod aſſeruabatur in Arca, dulcedinem mellis exhibuit, c. 16. Exodi, portendebatque miſericordiam, Petr. Damia-

miani ſerm. 10. ſicuti virga iuſtitiam, inde μελίῤῥυτον dicitur à Patribus ſextæ Synodi actionion.8. In terram lacte, ac melle manantem induxit populum Iſraeliticum Dominus. Vade ad apem, monet Sapiens, e Nic. Erythræo par. 2. epiſtol. breuis enim eſt apis in volatilibus, & initium, id eſt fructus, ſeu principatum dulcoris habet, ex Aria Eccleſiaſtic. c. 11. at in Prouerb. hortatur: Comede fili mi mel c. 16. Certè Sampſon mel comedit, fauum nempe repertum in ore Leonis, quem peremerat: Samuel etiam mel comedit: veſcebatur melle ſilueſtri S. Ioannes Baptiſta, & habitabat in ſpelæo cereo, vtque Nonnus pangit μελισσοβότῳ θενὶ λόχμῃ in Paraphr. Euangel. S. Ioãnis, vbi Abraam. Chriſto naſcente concinit Eccleſia mellifluos cælos: ipſe vindex noſter Dominus Ieſus fauos poſt fella guſtauit, Luc. c. 24. Tertullian. c. 14. de coron. Milit. Origenes Chriſtum nuncupat Apem ſuper apes, apud Galfrid. in Euang. Matthæi. S. Birgitta ſacratiſſimum Deiparæ Virginis corpus, Apiarium lib. 6. Reuelat. c. 12. Matthæus Euangeliſta mel exponitur S. Germano Conſtantinop. Patriarchæ in Theoria rer. Eccleſ. S. Cæcilia quaſi apis argumentoſa deſerviſſe Deo prædicatur in Paſſione cum Not. Boſij; S. Auguſtinus à Seuero epiſt. 37. Apis verè artificioſa dicitur

inſtruxiſſe fauos Diuini operis plenos, manantes miſericordiam, & veritatem. Sanctus denique Bernardus Apis Gallica, Doctorque mellifluus denominatur à R. P. Theophilo Raynaudo lib. de Regimine; vt prætermittam Apum examina confidentia, fauoſque fingentia in ore SS. Ambroſij, & Iſidori. Comitiſſa Mathildis abs Abbate Vrſpergenſi appellatur in Chronic. altera Debora, ſiue Apis, quæ Heroina Conſtantini Maximi pietatem, & liberalitatem æmulata, Romanam Eccleſiam ampliſſimo quoque patrimonio munificè donato locupletauit, meritoque propugnaculum Eccleſiæ, ac vindex Eccleſiaſticæ libertatis aduersùs Schiſmaticos Principes à Cardinale Baronio cognominatur, ad Martyrolog. die 14. Martij. Sed copiosè de illa in Notitia Patrimoniorum Eccleſiæ Romanæ, quam delineaui. Præclaram Antitheſim Deboræ, ac Mathildis Comitiſſæ R. P. Lucas Vvadingus non de Ordine ſolùm Franciſcano, verùm de vniuerſa Eccleſia optimè meritus, inſerüit Commentarijs ſuis ad Vitam S. Anſelmi Lucenſis Epiſcopi, quos euulgaturus eſt quantocyus. Nunc reuertor ad cereos, quibus illuſtrantibus non adeò erit obſcura origo Agnorũ Dei, quandoquidem in luce verſabor, & præferet illam, mihiquè Pharus erit cereus Paſchalis.

CA-

CAPVT SEXTVM.

PAſchale tempus publico, ſeu generali Baptiſmo præſtitutum fuiſſe compertum eſt e Panuinio, & e Loayſa in Concill. Hiſpan. tuncque competentes Catechumeni, vel immergebantur fontibus, vel aquis perfundebantur, & aquæ, fonteſquè benedicebantur. quod liquet e Victore Vticenſi lib. de perſeq. Vandal. Benedicebatur ſiue conſecrabatur, & ingens cereus accenſus igne, quem cum ampulla eliciebant à Sole (vt in Codicibus Remenſi, & Ratoldi legitur) vel e ſilice ſolebant excutere; quod iam ſeruatur ex inſtituto Zachariæ Papæ, ſicuti probat ex eius epiſtolis Cardinalis Baronius ad annum à Chriſto nato DCCLI. anteà quippe conſeruabatur ignis in Lampadibus feria quinta, & ex illis ſumebatur Sabbato ſancto, quod adnotat Gauantus par. 3. tit. 9. tom. 1. Theſaur. ſacr. Rit. Chriſtus namque lapis, & ſilex dicitur, declaraturquè à Prudentio in hymno v. Cathemerin; cui Diuina ineſt perſona igne denotata. Exſtinctis autem nunc luminibus omnibus nocte feriæ quintæ in hebdomada ſancta propter mœrorem, atque triſtitiam ex paſſione Domini, atque morte conceptam, luctu indicto, atque

iuſti-

iuſtitio, & (vt ita loquar) ſilicernio, vix, dum Pſalmi recitantur, quindecim accenduntur candelæ, quæ XII. Apoſtolos, & II. Marias, vnâque Sanctiſſimam Dei Genitricem referũt, & ſingillatim exſtinguuntur præter vltimam, quia fides Deiparæ nunquam defecit: tenebræ quoque demonſtrantur, quibus Sole inſolitam Eclipſim paſſo terra omnis fuit circumfuſa, e Ruperto lib. 5. de Diuin. Offic. & Durando lib. 6. c. 71. Rational. At in ipſo quod conſequitur Sabbato, mane ob lætitiam Reſurrectionis Chriſti, & propter gaudium Baptiſmi ſuſcitatur etiam ignis in cereo, & benedicitur formulis antiquiſſimis ab Epiſcopo & Leuita, moxquè cerei reliqui, ac lampades vndique ſuccenduntur; canit igitur de Nocte Paſchali, quæ in Sabbato mane celebratur, Auſonius. *Nox lumen referens funalibus anteferendum.* & Licentius in Carmine ad S. Auguſtinum inter eius epiſtolas perſpicuè morem illum indicat hiſce verſibus. *Et cum Luciferos præconia Veſper in ortus Diſtulerit, ſanctumquè ſuper benedixeris ignem, Sis memor ipſe mei*. Cum Hipponem Regium veniſſet S. Auguſtinus, à Valerio Epiſcopo quamuis flens ordinatus fuit Presbyter, cereiquè Paſchalis procemium, ſeu Præfationem decantauit in Paſchate, vti volũt Riuius in eius Vita, & Gretſerus lib. 1. de Bene-

ne-

nedict.c.31.qui adnotat exſtare in Bibliotheca Patrum benedictionem cerei Paſchalis ſub Auguſtini nomine promptam e m.s. Codice Miſſali Gothico,eamdem ferè cum Romana, niſi quod in iſta encomium Apum omittitur. En illud e Miſſali Gotthico miſto ſecundum Regulam Iſidori dicto Mozarabes,& Toletano. *Non hic Thureis adoletur flamma virgultis, nec in Sabæcis proſcinduntur ligna nemoribus, quæ ſuauitates Cinnamomi rorantes exhalent; ſed cera famulatur ex lumine, quæ non polluitur ex parente, cuius natura de flore, cuius ortus e Virgine, cui illa dat genitrix natiuitatis originem, quæ corruptionis neſcit errorem.* Sanctus Ambroſius lib de Paſch. cap. vlt. meminit cereorum Paſchalium,& reliquit elegantiſſimam formulam Benedicendi cereũ Paſchalem Eccleſiæ ſuæ Mediolanẽſi, quæ habetur tomo 6. Bibliothec. Patr. & in Ambroſianæ Miſſæ Codice. Meynardus tamen in Notis ad S. Gregorij Sacramentar. ignorari ait à quo ſit compoſita. Auctor Antiquitatum Liturgicarum ita refert. *Decet ergo in hoc Domini Saluatoris noſtri Veſpertinæ Reſurrectionis aduentu ceream nos adolere pinguedinem, cui ſuppetit candor in ſpecie, ſuauitas in odore, ſplendor in lumine, quæ nec marceſcente liquore defluit, nec offenſam tetri odoris exhalat.*

Enno-

Ennodius Epiſcopus Ticinenſis, quì obijt anno à Virginis partu D L I. Benedictiones duas cerei Paſchalis diſerto ſanè ſtylo conſcriptas ſuis intexuit dictionibus diuerſas ab hiſce. Formula Benedictionis in Codicibus tam Remenſi ſcripto à Lantberto Sacerdote, ac ſolitario, iuſſu Godelgrandi Presbyteri Monachi, & Decani anno 799. quàm Rodradi Presbyteri florentis anno 853. & Ratoldi Abbatis Corbejenſis anno 986. differt & à vulgari; nam laudes apum ampliſſimè proſequitur, ſicut altera Benedictio, quam refert Meynardus e m. s. Codice Ioannis Auberti, quamquè lubet hic excerpere. [Apes verò sũt frugales in ſumptibus, in procreatione caſtiſſimæ, ædificant cellulas cereo liquore fundatas, quarum humanæ peritiæ ars magiſtra non exæquat magnificentiã; legunt pedibus flores, & nullum damnum in floribus inuenitur, partus non edunt, ſed ore legentes concepti fætus reddunt examina, ſicut exemplo mirabili Chriſtus ore paterno proceſſit, fœcunda eſt ſine partu virginitas, quam vtique Dominus dignatus ſe carnalem matrem habere virginitatis amore conſtituit,] & c. neque pigebit recenſere alteram erutam e voluminibus exaratis calamo in membrana, quæ in Bibliotheca Barberina ſeruantur (horum alterum notatũ

eſt numero 2394. aliud varijs pictum figuris; vtrumque charactere Longobardico. En illam Remenſi, & Rodradianæ omninò perſimilem. [Apis omnibus, quæ ſubiectæ ſunt homini animantibus antecellit; cum ſit minima corporis paruitate, ingentes animos anguſto verſat in pectore, viribus imbecillis, ſed fortis ingenio. Huic explorata temporum vice cum caniciem hyberna pruinoſa poſuerint, ſtatim prodeundi ad laborem cura ſuccedit; diſperſæ illæ per agros libratis paululum pennis cruribus ſuſpenſis inſidunt, partim ore legere floſculos oneratæ victualibus ſuis ad caſtra remeant, ibique aliæ inæſtimabili arte cellulas tenaci glutino inſtruunt, aliæ liquentia mella ſtipant, aliæ vertunt flores in ceram, aliæ natos ore fingunt, aliæ collectis e folijs nectar includunt! O verè beata, & mirabilis Apis, cuius nec ſexum maſculi violant, fætus non quaſſant, nec filij deſtruunt caſtitatem. Sicut Beata Maria concepit virgo, virgo peperit, virgo permanſit.] Eſſe dicitur & in ſacramentario Grimoaldi, ſeu Grimoldi, forſan Grimaldi, Abbatis Canonici S. Galli, & Archicapellani Ludouici Pij Aug. à Meynardo, quin & alia à Petro Diacono Caſinenſi compoſita, qui anno 1130. vixit, vti teſtatur auctor Antiquitatum Liturgicarum e libello Diuinarum,

Hu-

Humanarumquè Obſeruationum. vnde quot erant Eccleſiæ,quot Epiſcopi, quot Abbates, tot erant formulæ Benedictionum huius cerei. quod colligitur ex epiſtola S. Hieronymo adſcripta ſuperius à me prolata. Idem Liturgicarum auctor affirmat à S. Gregorio Nazianzeno cereum Paſchalem memorari; certè Antiſtes eloquentiſſimus oratione quarta de Paſcha ita loquitur. *Heri præclarè à nobis, & propria, & publica luminum geſtatione nox illuminata fuit, confluentibus Dignitatibus, & plebe, omniquè genere hominum.* Apum quoque in laudes effunditur in oratione in Nouam Dominicam numero 43. Patres Concilij Toletani, qui anno 597. conuenerunt c.8. In peruigilijs Paſchæ lucernam, & cereum penes ſe benedici referunt, mandantquè intra Vigilias ſolemniter quoque Benedictionem illam peragi, propter glorioſum Noctis Paſchalis Sacramentum;idque apud quaſdam Eccleſias Gallæciæ (ſunt qui Galliæ legant, puta Narbonenſis, cuius Epiſcopi Toletum ad Synodos adibant, quia ſubdita Gotthis Regibus erat pars eius Prouinciæ,e Loaiſa) in quibus omittebatur. Iſidorus canonem exhibet, & ex illo Thomas Valdenſis tomo 3. tit. 24. c.166. Doctrinalis,vbi de Benedictione luminum, & candelabris.Cereus autem ille fuit ſignificatus

à columna ignis, quæ præluxit Iſraëlitis iter in ſolitudine facïētibus noctu ex Amalario lib. 1. c. 18. de diuin. offic. vbi Benedictionem inſerit cerei; vel à lucerna, quam commemoraui ſolitam accendi manè, ac veſpere ante Arcam Teſtamenti in Sanctuario, e S. Auguſtino ſermone 166. tertiæ partis de Dedicatione. mel quidem Diuinitatem Chriſti portendit, at cera Humanitatem, vti S. Gregorius in Homil. exponit, idemque prodit Amalarius addens accendi duos cereos lib. 1. c. 17. & 20. quod & obtinet in Pontificio Sacello. Sacramentarium S. Gregorij duos cereos illuminari narrat, quos tenent duo Notarij, vnus in dextro cornu altaris, & alter in ſiniſtro, tum illa duo cereoſtata, quæ antea fuerant illuminata ſemper antè Pontificem procedere; vbi Meynardus ex more antiquo cereos ardentes Epiſcopis præferri probat, ſeu Lampadem à Lampadario paſſim per vicos, e Theodoret. lib. 5. Hiſt. c. 34. vbi de reditu S. Ioannis Chryſoſtomi, & e Meurſio in Gloſs. Græco-Barb. ſed iſti cerei non erant Paſchales ritu ſolemni Benedicti æuo S. Gregorij Magni. Qui Prudentij hymnum tertium, ſeu 5. Cathemerinῶn accipiunt de cereo Paſchali, vt auctor Liturgicarum, Gretſerus, Gauantus, & Theophilus Raynaudus lib. de Agnis Dei iure nuncupatus alter

Chal-

Chalcenterus, falluntur. Eſt enim (vt Meynardus deteg:t in Sacramentar.& ad § 2.c.23. Regular. S.Benedicti) de lumiue veſpertino, quod olim quotidie in Eccleſia, ſolemni etiam quodam ritu accendebatur, dicebaturquè εὐχαριστία, ſeu Pſalmus ἐπιλύχνιος e Dauidicis 118. de quo S. Clemens lib. 8. c.40.Conſtitut.S.Baſilius ad Amphiloch. c. 29. & Interrog. 37. in Regul. & Caſſian. lib.2. recitabatur ille ad Solis occaſum cum Deo agerentur gratiæ, e Sancto Ioanne Chryſoſtomo ad illum Pſalmum, & e S.Epiphanio; at à Latinis lucernarius, & lucernalis appellabatur. Profectò non diceret illam noctem Prudentius, ſi de cereo Paſchali caneret, ſed iſtam. Ad cereos iſtos Paſchales collocandos in Vrbe præcipuè candelabra nõ lignea, neque Corinthia, ſeu Corinthio fuſa ære, de quibus canit Martialis lib. 14. Epigr. 39. & 40. nec aurea, cuiuſmodi erant illa Moſis, & Salomonis, ac Conſtantini, & Chriſtianorum æuo S. Laurentij, & quæ ab eodem Conſtantino fuerunt donata S. Nicolao Myrenſi, vt his inter ſacrificandum vteretur, e Lipomano in eiuſdẽ S. Nicolai vita l.1. Vit. Sanctorum; ſed lapidea, ſeu marmorea præalta, & ingentia quaſi Coloſſæa conſtructa viſuntur in Baſilica S. Pauli (quamuis illi nunc præfixa ſit Crux, idque fuerit extrà Eccleſiam erectũ,

& in circulo inferiori propè Baſem adhuc legitur Leoninis verſibus, & inconcinnis cõtexta Epigraphe. [Arbor poma gerit, arbor ego lumina geſto, Porto libamina, nuntio gaudia, ſed die feſto Surrexit Chriſtus, nam talia lumina præſto.] In Baſilica Liberiana, cuius de cereis iam proloquutus ſum, in S. Laurentij in agro Verano, ſeu extra muros; in S. Apollinaris, in S. Pancratij, in S. Agnetis via Numentana, in SS. Nerei, & Achillei, & in S. Cæſarij Eccleſijs, ſuperſunt in hiſce duabus ambones, vt in S. Laurentij, & in S. Clemẽtis, atque S. Mariæ in Coſmedin, ſiue Coſmidy etiã, ſeu ſuggeſta, & pulpita, quæ conſcendebat lecturus Præfationem Diaconus, ſicuti delineatũ eſt minio, alijſque coloribus in perantiquo illo volumine Barberinæ Bibliothecæ, cui Pontificis Maximi, & Imperatoris, ac Epiſcopi, Comitis, & Leuitæ inſunt imagines. Stat in ambone Leuita, ad quem vtrimque per gradus eſt aſcenſus, at Comes manu geſtat accipitrem, vnde aucupem illum Imperatoris crediderim, qui Græcis præfectus Ἱερακοτρόφιας, vulgò Falconarius Latinis. In æde Lauretana Virgini Dei Matri ſacri Lychnuchi Angelorum ſpecie oblati ſunt; ei enim ſacroſancta lumina offerri cælituum par eſt, quæ à Deo lucem tenebris attulit, e Turſellino in ea Hiſtoria. Hieroſolymis

ad

ad ſanctum Chriſti ſepulcrum, & Eccleſiam ſanctæ Reſurrectionis cereus diuinitùs e cælo ignem concipiebat, & accendebantur lampades, ſeu per cæleſtem Nuntium, ſiue Angelum Paſchali tempore, ex Vrbani II. teſtimonio in Concilio Claromontano, vt alias retuli, perdurauitquè mirabile hoc incendium donec à Schiſmaticis occupata fuit Eccleſia, qui fraudulenter illud imitantur.

CAPVT SEPTIMVM.

EX illo itaque cereo Paſchali extra Vrbem particulæ (vt in Ordine Romano adnotatur, & poſt me in Corollario primo refert R.P.Raynaudus) eximi conſueuere, detractæquè ſeruabantur & aduersùs infeſta omnia, (putà) incendia, morbos, ruinas, naufragia, cæteraquè adhibebantur. Hinc in Benedictione Auberti effabatur Pōtifex, ſeu Presbyter: [Quocumque loco ex huius aliquid ſanctificationis fuerit myſterio deportatum expulſa Diabolicæ fraudis nequitia, virtus Tuæ Maieſtatis aſſiſtat.] & liquet ex Ennodij Benedictione prima. [Et ſi quis hinc ſumpſerit aduersùs flabra ventorum, aduersùs ſpiritus procellarū, Tua iuſſa faciens, ſit illi ſingulare perfugiū, ſit murus ab hoſte fidelibus, Tu Reſurrectionis Tuæ tempore, quo vernat anni reuiuiſcentis infan-

tia, ſumptam ex hoc contrà procellas, & omnes incurſus fac dimicare particulam.] Neque dubium eſt quin e cereo Paſchali fuerit excerpta cera, quæ delata e templo S. Martini Turonis, iniectaquè igni flammanti, liqueſcendo (mirum dictu) graſſans exſtinxit incendium. quod recenſet Coriolanus in Breuiar. Chronolog. ad annum 64. e lib. 6. de miracul. Sancti Martini à Paulino Petrocorienſi, at e Gregorio Turonenſi lib. 2. de illis Cardinalis Baronius ad annum 58. Ceram, quæ pallula fuerat inuoluta, templo S. Galli, quamuis nondum illata, quia ipſi deſtinata erat, permanſiſſe in horrendo incendio illæſam Vvalafridus teſtatur in Actis S. Galli. Ceream tabellam, ſeu Diptychon, in quo S. Odulphus nomina eorum, pro quibus orabat, deſcribere ſolitus erat, ignis cellam peruadens, & depaſcens nec attigit, Surio auctore. Ex Ordine Romano, quem abs Apoſtolis traditum quaſi per manus (nam S. Paulus 1. ad Corinth. c. 11. cætera ſe diſpoſiturum ſpoponderat) Gelaſius Papa concinnauit anno 492. diſcimus hunc Ordinem Benedicendi Cerei ſolitum agi in forenſibus Ciuitatis; intrà Ciuitatem Romanam non ſic. [Mane itaque primo venit Archidiaconus in Eccleſiam, & fundit ceram in vas mundum maius, & miſcitat ibidem oleum, & benedicit

ce-

ceram, & ex ea fundit ſimilitudinem Agnorum, & ſeruat ea in loco mundo.] Hæc tit. de Sabbato ſancto, ſeu ordine Benedicendi cerei, & poſt tit. in octauis Paſchæ. [In Dominica poſt Albas infrà Ciuitatem Romanam dantur Agni Dei ab Archidiacono poſt Miſſam, & Communionem populo, & ex eis faciunt infrà domos ſuas incenſum accendi ad ſuffumigandum in domibus ſuis pro quacunque neceſſitate: ſimiliter & in ſuburbanis neceſſitatibus de cereo Benedicto faciunt, ad ſuffumigandum ſcilicet in domibus ſuis, ſeu ponẽdum in agris, vel vineis, propter illuſiones Diabolicas, ſiue cõtrà fulgura, & tonitrua.] Apud Albinum, ſiue Alcuinum, & Amalarium, hæc proferuntur, inque libro vetuſto, cui titulus Fragmenta Caroli M. à Lazio in lucem edita, quique continet eadem, quæ Albinus, niſi quod additur in margine. Agnos Dei fieri e butyro in Germania. apud Panuinium itidem in Notis ad Liturgias, & Cæremonialia Cod. m. s. [Archidiaconus ingrediebatur Eccleſiã, ceramquè in vaſe mundo liquefactam cũ oleo miſcebat, eamquè Benedicens in Agnorum effigiem efformabat, quos in octaua Paſchæ poſt Communionem fidelibus diſtribuebat, qui eos pro quacunque neceſſitate in ſuis ædibus ad ſuffumigandum incendebant.] Sic & cerei Li-

beriani virtute ſpectra, calamitateſquè pellebantur; vti Paſchalis Hieroſolymitani cera, cuius portiuncula ſeruatur adhuc Vaſionenſe in Eccleſia inter Ceimelia, & Lipſana ſacra. Meynardus quidem Agnorum cereorum ritũ putat Romæ cœpiſſe, cum deſijt cerei Paſchalis benedicendi ritus, & conſuetudo, hoc eſt antè Zoſimum Papam, qui anno 417. ſedit,& à quo conſtitutum fuit vt cereus Paſchalis Benediceretur per Parochias,e Pontificali libro. Cum enim Romæ Agni e cera oleo ſubacta effingerentur, & pia, religioſaquè Encauſtice Benedicerentur, vice nempe illarum particularum, quæ Paſchali e cereo eruebantur, vti ſolemne fuit Eccleſiæ Romanæ magnificẽtiùs, & illuſtriùs omnia perficere, quodque vbique gentium ad cultum Diuinum vſurpabatur in melius verſum, atque celebriùs exornatum cohoneſtare, ac decorare. Conſuetudo Paſchalis Cerei Benedicendi exoleſcebat intermiſſa in Parochijs forenſibus, ſeu in Suburbanis Eccleſijs. Certè in cella Regis Franciæ reperta Bulla gemmis intertexta eas litteras cõtinens MARIA NOSTRA FLORENTISSIMA probat vſum cereorum Agnorum Zoſimo antiquiorem, vt iam notaui, & aſtipulatur Lucius Faunus lib. 5. de Antiq. Vrb. Deſueſcebat (inquam) Benedictio cerei Sabba-

to

to ſancto. Eam igitur retineri mandauit, obſeruarique per Parochias, ſiue in ſupraſcriptis forenſibus, & ſuburbanis Eccleſijs; quod anſam præbuit nonnullis affirmandi Zoſimum auctorem fuiſſe Benedicendi cereum Paſchalem, & Alcuinus c.2. de Sabbato ſancto de Diuin.Offic. ac Amalarius c.18. tribuunt tantum Zoſimo Decretum,quo iubetur Benedici cereus per Parochias, ipſique addi, ac inferi Thuris fruſtula quinque,vt deſignent totidem vulnera Chriſti Domini, quæ reſurgens ſeruauit,vt in libro de Clauis Crucis Domini retuli, vel vt denotent aromata, quæ compararunt vnguentiferæ mulieres vt eius corpus delinirent, e Durando,Amalario, & Valramo,ac Photio in *μυριοβίβλῳ*, vbi de Modeſto. Anno Chriſti 462.Gelaſio ſedente perſtabat Agnorum cereorum vſus,vt mox patuit ex Ordine Romano, oleum verò illis affuſum ad annum 598.ſeu 600.iuſſu S. Gregorij M. Papæ, conſtat ex Alcuino, & Amalario, quando myſteria Paſchalis Agni reſerauit, ab eoque duos Agnos auro incluſos Agilulpho Regi Longobardorum miſſos,qui Modoëtiæ aſſeruantur, Torrigius in Crypt. Vatican. prodit. Oleum nempe S. Crucis, ita enim Chriſma ſanctum vocare videtur S. Gregorius lib.7. epiſt. 34. quòd eo Eccleſia vti ſoleret, vt animaduertit

Car-

Cardinalis Baronius ad annum 324. ſeu Benedictum. imò nomine olei arguit eruditè R. P. Raynaudus lectionis vir inexhauſtæ Chriſma intelligendum; Balſamus verò, vt in Vrbani V. Carmine legitur, ſiue potiùs Opobalſamum, ſicuti canit Eſtius, adhibetur, quando neque ſine illo Chriſma conficitur, olei vice Lampadibus infuſum ſuperiùs edocui. Lumini veſpertino inſuper primæui Chriſtiani admiſcebant Chriſma, quod innuit Prudentius hiſce verſibus. *Lumen, quod famulans offero, ſuſcipe tinctum pacifici Chriſmatis vnguine*, niſi de ſe tincto, & vncto canat, id eſt, baptizato, & confirmato. Non ambigendum ex his ſub Gregorio M. vſum Agnorum cereorum in Eccleſia Lateranenſe viguiſſe, idque abundè probatum eſt, & ordinem Romanum ipſe ſeruauit, & interpolauit; Paſchalis verò cerei benedicendi ritum in Parochijs tantum forenſibus fuiſſe retentum. Itaque Theodorus Papa, qui anno Epoches Chriſtianæ 640. præfuit Eccleſiæ Romanæ, renouauit, & reuocauit hunc ritum Benedicendi cerei Lateranenſe in Baſilica. Hinc errant Martinus Polonus, & alij, qui adſcribunt huic Theodoro inſtitutum Benedicendi cerei: fallitur in primis Fauchetus, qui ſeram iſtam conſuetudinem, tardèque conſtitutam affirmat in Annall. Franc. Theodorus enim

enim cerei Benedictionem cum vſu Benedictionis Agnorum coniungens reſtituit. Leo dehinc Papa III. Carolo Magno Imperatoria Corona donato Agnum Dei vnum obtulit, teſte Scortia in Theorematibus circum annum 796. vti putant Horoſcius, & Fruſius, qui miſſum autumant, vti Torrigius referens ad annum 787. Cæterum ex Albino, & Amalario conſequitur eo tempore, proximoquè Agnorum Dei vſum perſeueraſſe nempe Caroli M. & Ludouici Pij Augg. æuo, e Benedicto Canonico S. Petri, ad annum 1140. e Cencio Camerario, ad annum 1192. Hos verò adduxi ſuperiori Corollario. anno 1627. Romæ cũ diſijceretur ſummum faſtigium Turris Comitum, quæ ruinam, caſumquè minabatur, iuſſu Excellentiſſimi Ducis Poli Lotharij e nobiliſſima illa gente, repertum fuit inter macerias vas e creta ollæ inſtar, cui cereus inerat Orbis maiuſculus, ſed confractus cum ſuperſtitibus hiſce litteris ECCE, quas ſequebantur haud dubiè iſtæ AGNVS DEI, ſed comminutæ fuerant, doctiquè Antiquarij conſenſerunt abs Innocentio III. Papa conditore Turris pinnis fuiſſe inditum aduerſus procellas, & fulmina, dum Durandus Mimatenſis Epiſcopus florebat ad annum 1286. Agnos conſecrabat cereos Summus Pontifex, vt ex ipſo claret in

Ra-

Rationali. ſub Ioanne XXII. Benedicto XII. & Clemente VI. Cæremonia illa obſeruata fuit: poſt Vrbanus V. miſit tres Agnos ad Ioannem Palæologum Imperatorem Conſtantinopolitanum, & verſibus ritum iſtum inſigniuit, vt Bzouius aſſerit, quos & Ioannes de Glen recenſet in Hiſtoria Pontif. e Cæremoniali S. R. E. libro. R. P. Raynaudus illos concinnat, nihiloſeciùs Benedicebatur cereus Paſchalis, tantumquè ardebat per octauas Paſchæ Romæ in Lateranenſe, ſicut in Parochijs, quod colligitur vt e Ritualibus libris, ſic ex Ordine Romano, quia per Octauas illas ex eo ſegmenta diſtribui mandantur. in Annalibus Minorum traditur à laudatiſſimo P. Vvadingo in Comitijs Ord. S. Frãciſci Piſanis, quibus S. Bonauentura MiniſterGeneralis præſuit ad annũ 1263. ſtatutum vt accenſus flagraret vſque ad ſolemnitatem Aſcenſionis in Miſſis ſaltem ſolemnibus, feſtiuis diebus: idque obſeruatur etiamnum, quia tunc Dominus videri deſijt in terris corpore, cum ad Cœlos euectus propria virtute conſcendit, illudque intulit, & immiſit in æternæ gloriæ poſſeſſionem. Thomas Valdenſis ait non eſſe neceſſum, vt inſcribatur cereo numerus annorum ab Orbe condito, quia multis in terris (vt loquitur) ei nihil inſcribitur: tamen e S. Thoma Aquinate Quod-

libet.

liber. 3. annus ille deſcribebatur in tabella, quæ titulum Crucis notabat, vt apud Durandum legi. Monachi Ciſtercienſes annum Incarnationis, Epactam, & Indictionem exarare ſolent: Beda inſcribi ſolitum annum Reſurrectionis tradit: in Codicibus Remenſi, & Ratoldi præcipitur, vt fiat Crux de incenſo in cereo, noteturquè annus Domini cum A. & ω. Sed annum Incarnati Verbi, & annum ab Orbe condito recurrentem exprimi voluit doctiſſimus Carolus Moronus Canonicus Baſilicæ S Laurentij, Eminentiſſimi Cardinalis Frãciſci Barberini Bibliothecarius, & verè ſpirans Bibliotheca. Cerei Paſchalis prolixiorem Inſcriptionem e Bibliotheca Floriacenſe R. P. Menochius in ſuis Storeis par. 5. c. 40. exhibet.

CAPVT OCTAVVM.

OMiſſo cereo Paſchali, ad Agnos reuertor, quorum materies cera eſt, Chriſma, ſeu oleum Benedictum cum Balſamo, & aqua, vt conſentit & P. Raynaudus, de aqua tamen, deque immergendis illi Agnis, & extrahendis in Ordine Romano ne verbum quidem. vnde cum Panuinio crediderim id cœptum, poſteaquam ſolemnis mos publicè Baptizandi fideles in Paſchate deſijt, niſi potiùs dum vſurpabatur

batur vterque ritus cerei, & Agnorum, exortum eſt, imitando immerſionem, ac extractionem cerei ex aqua; vel cum intermiſſa fuit ipſius cerei Benedictio, vſque ad Theodorum Papam, eius vice Agnos immergendo, & extrahendo. Hic enim aqua hærere cogimur, tantumquè conijcere licet, nec in hoc vado dux vllus eſt. Pontifex equidem cum Cardinalibus, ſecundùm Rituales libros à tribus, quatuorue ſæculis conſcriptos, immergit cereos Agnos aquæ Benedictæ in peluibus capacioribus, tum extrahit cum cochlearibus colatorijs ex argento. Forma eſt Benedictio, ſeu Conſecratio, quæ peragitur formulis precum ad Deum conceptis, quas olim fundebat Archidiàconus Sabbatho ſancto, qui dein Agnos diſtribuebat Dominica in Albis, nunc ipſe Summus Pontifex per dies Hebdomadæ Paſchalis Benedictionem illam, ſeu Conſecrationem perficit, Agnos abluens ſacratis aquis, & recitans preces cum Cardinalibus, quas fusè proſequitur Chriſtophorus Marcellus electus Archiepiſcopus Corcyrenſis lib. 1. ſacr. Cæremon. c. 8. & lib. 2. c. 6. tum Sabbatho in Albis diuidit eos Clero, & populo. Cæremoniæ variæ, ſeu ritus, qui obſeruantur, ab eodem diſertè præſcripti ſunt, & in antiquis Codicibus librorum Ritualium tam Vaticanæ, quam

Bar-

Barberinæ Bibliothecæ. De ſchedulis affigi ſolitis ſuperiùs dictum eſt. Tempus præſtitutum fuit Sabbatum primum poſt Paſcha, quod in Albis dicitur, manè primo, diſtributioni; anteriores verò Paſchalis Hebdomadæ dies, conſecrationi, quam in illis exſequitur Pontifex anno primo Pontificatus, ac deinceps ſeptimo quoque. Gregorius XIII. & primo, & ſeptimo anno Pontificatus Agnis benedixit, & 305. capſas illis toties repleuit, e quibus plurimos Cardinalibus, Epiſcopis, Prælatis, populoquè dedit, ac Principibus viris, perque omnes Chriſtiani Orbis Prouincias miſit. Præſte-Ianni etiã Abyſſinorum Regi vnum porrigi iuſſit; ille verò piè, reuerenterquè accepit, auctore Scortia in Theoremat. Sacrauit & Paulus V. Agnos e cera effictos, vt refert Laurus lib. de Annul. pronub. Virg. Erogat Agnos cereos Pontifex, ſi ſacra celebret ipſe, poſt inuocatum ter Agnũ clamando, Agnus Dei, ſicut in Angelico Hymno, & in Litanijs, non Agne Dei, vti cauillantur Grammaticaſtri, tricanturquè pronuntiãdum in caſu vocandi, quos refellit Serarius lib. 6. Litan. quin & in vocatiuo Deus ad euitãdam Cacophoniã enuntiari ſolet. In ſacrorum ſolẽnijs, ex inſtituto Sergij Primi, propter trinam Hoſtiæ diuiſæ à Sacerdote portionem ter acclamatur *Agnus Dei*, teſte Card. Baronio ad

annum 700. nam in Liturgia S. Petri antea tantum ſemel proferebatur, ter etiam reſpondebatur ex eodem inſtituto, *Miſerere nobis*, vt in Baſilica Lateranenſe, tamquam aulæ cœleſtis ſimulacro, ac effigie, vbi vera pax, adhuc mos eſt, ex Iuone Carnotenſi lib. de conuen. nou. & vet. Teſtam. Alberto de Offic. Miſſ. Durand. c.52. Rational. propter varia deinde bella, & præſertim ad ſedandum, & extinguẽdum atrox, & cruentum, ac internecinum bellum, quod inter Anglos, Galloſquè recruduerat, Ioannes XXII. edixit, vt tertia reſponſio verteretur in *Dona nobis pacem*, ex Angelo Rocca lib. 1. c. 18. de Campan. ſin Pontifex nõ celebraret, ſacris operabatur Prior Epiſcoporum, idque muneris ipſi incumbit; illiſquè cõpletis, Agni Dei expendebantur, vt aiunt Rituales Scriptores. Locus, in quo Benedicuntur Agni Dei, nunc eſt Aula, ſeu Procœton Pontificis in Palatio Vaticano, vel Quirinali: ibi erigitur ara, & inſtruitur, ac ornatur, ad quam Pontifex fundit preces; olim erat ipſa Baſilica Lateranenſis, vbi Statio habebatur, & auguſtiorem in modum ritus illos obire Summus Pontifex conſueuerat, vti notat Illuſtriſſimus Cæſar Raſponus in libris de Lateranenſe Baſilica, in quibus elegantiſſimè de Agnis Dei diſſerit. At locus, in quo diſtribuuntur,

eſt

eſt Sacellum Pontificum, in quo ſacra celebrantur, ſiue Vaticanum, ſiue Quirinale. Fuit quōdam Lateranenſis Baſilica, cui Sacella iſta ſucceſſerunt, ex quo Pontifices Auenioni ſubſidentes, quas obire non poterant Stationes intermiſerunt, & Eccleſiarum vice, quas luſtrare religiosè, & in quibus ſacra peragere moris erat, Sacella in Auenionenſi Palatio excitarūt, ibique ea munia perfecerunt. Qui poſteà Romam redierunt, & ibi reſederunt, imitati Anteceſſores Auenionis inquilinos, Sacella quoque conſtruxerunt nouis in Palatijs, vbi ſacra fierent, Stationibus, ad quas ſolemniter procedebatur, omiſſis hucuſque; niſi quod Sixtus Quintus eas renouare niſus eſt. Cardinales, & Epiſcopi, ſi Pontifex celebrat ſolemniter, adſtant parati: ſin, Cardinalium Prior ſacris litat: ſtant cum cappis, ſeu byrrhis ſuis vſque ad inuocationem Agni, tunc parant ſe, ſui quiſque ſcilicet ordinis induit veſtimēta, Epiſcopi pluuialia, caſulas Presbyteri, dalmaticas Diaconi, & accedunt ad Pontificem, qui Agnos illis porrigit, & omnibus conſiſtentibus in Capella intra Regias tantùm, duos cuilibet Prælato, & alijs vnum, nunc autem faſciculos papyro, & goſſipio quaſi pelle, ac vellere obuolutos maiores, minoreſuè pro cuiuſque dignitate. Sunt autem Regiæ non portæ tantùm, vt aliqui

explicant æneas Regias à Leone III. poſitas in Monaſterio S.Stephani cata Galla Patricia, & apud Anaſtaſium etiam in Conone,Gregorium Turonenſem lib.4. c.13. Vitæ S.Mariæ Aegyptiæ auctorem c. 5. ſed cancelli, quibus Epiſcopi, Presbyteri, Clerici, & honorati,à reliqua plebe ſecernuntur. Effingebantur Agni Dei dudum, & efformabantur ab Archidiacono, tum à Subdiaconis Apoſtolicis, dein ab Acolythis,mox à Sacriſta; qui parabant typos, & formas æneas, ferreaſquè, & imprimebant illis ceram. Inſculptæ his erant Agnorum imagines cum Cruce, vnde illis nomen, aut Chriſti Domini, vel Deiparæ Virginis, ſiue aliorum Sanctorum, variaquè myſteria, vt è cera exhiberentur; quod factitatur hactenus à Monachis S. Bernardi Congregationis Fuliẽſis, qui vti præmonui,eo funguntur munere, ac officio. Cur orbicularis, ac rotunda, ſiue ouata forma fuerit Agnis Dei potiùs aptata; multis argumentis prætermiſſis, ſatiùs ducam proferre Alphonſi Salmeronis Presbyteri Soc. Ieſu clariſſimi doctrina, & ſanctimonia, verba, ille in epiſt. data Neapoli die S. Marci anno 1572. ad Antonium Cardinalem Caraſam inter alia exarat iſta. [Quod ſcribis de diſtribuendis Agnis Dei in Patres à Te nominatos, id quidem à me fiet diligenter, ac fideliter,

ter,deinde quanto eſt illud præferendum magis,quod Tu magnus in Eccleſia Dei Princeps magna ex caritate, magno ſanè, ſacroquè ac præclaro nos affeceris munere, poſtea neque rursùs exiguum, paruum, aut leuidenſe quid; ſed præclarum, excelſum, ac magnificum tale donum eſſe exiſtimamus. nam vt omittam communes illas, & omnibus notas huius rei ad nos miſſas virtutes, ac fructus; ſanè illo ad aſſiduam Chriſti innocentiſſimi Agni prò nobis in Cruce immolati memoriam colendam excitamur, & ad imitandam illius manſuetudinem, innocentiam, ſimplicitatem, atque adeò iugem noſtrum ipſorum oblationem ſpiritalem, atque immolationem Deo præſtandã erudimur. Habent etiam peculiarem ſignificationem, & gratiam ouatæ formæ Agni Dei, quòd collo appenſi geſtari facilè valeant, vt quemadmodum Sanctiſſima Deipara Ieſum infantem brachijs ſuis,& pectori admotum geſtabat, illoq. quaſi delicatiſſimo, ac fortiſſimo clypeo ſeipſam muniebat;ita nos delicias has,quæ Chriſtum referunt,& ſuauiſſimum pondus,quo ab omnibus aduerſis protecti eſſe valeamus, ſumma volũtate portemus.Si quos igitur in his planè heroicis, & excellẽtibus virtutibus progreſſus fecerimus,tãti doni gratia cõmonefacti partẽ Te non minimã habiturũ profitebimur.]

CAPVT NONVM.

SEd Agni Dei potiſſimũ in ſpeciem Agnorũ finguntur, eaquè forma ipſis præcipuè inuritur varijs de cauſſis, e quibus nonnullas Benedictus Canonicus attulit, quaſque repetere putidum eſſet, ac tautologum. Attexam igitur alias. Symbolum nempe Agnum eſſe filij Dei, ex vſu Hebræorum rei pecuariæ addictorum, & paſtorum, vt ipſi confitebantur c.46. & 47. Geneſ. hinc apud illos Agnus idem eſt, quod filius. in Pſalmo quidem 28. duplex retinetur verſio. *Afferte Domino filij Dei, Afferte Domino filios arietum:* nam eiſdem litteris ſignificantur filij Dei, & filij arietum, ſiue Agni Hebraicè. Raynaudus fuſiſſimè de Chriſtianis, qui filij Dei adoptiui ſunt, & imagines quædam Chriſti filij naturalis Dei viuæ, vnde in vetuſtis picturis, & muſiuis paſſim delineantur, & pinguntur Agnorum ſpecie, & vocitantur Agni Chriſtiani, Chriſtianæquè Agnæ, & propria nomina ſunt Chriſtianus, & Chriſtiana, vti Chriſtinus, & Chriſtina. Agna quoque filiam ſignificat, & Natalem, ac Renatã. Agnelli dicũtur in primis, qui ſunt recens tincti, ſeu Baptizati. ΑΓΝΟΣ, id eſt, vitex, & ἉΓΝΟΣ, id eſt, caſtus contuli, quia Græca vocabula ſine

accen-

accentibus. olim ſcribebantur, e Ioſepho Scaligero in Not. ad Euſeb. Chronic. Eſt autem vitex frutex felix, & amaritudine ſua excitat ad caſtitatem, manſuetudinem, ſimplicitatem, aliaſquè virtutes. Solebantquè Matronæ Athenienſes in Theſmophorijs ἀγνεύειν, ſeu in caſtro Cereris agere, & ideo ἄγνῳ καὶ κονύζης folia ſibi ſubſternere e Caſaubon. ad Idyll. Theocrit. & Ioſ. Scaliger. in Varron. Amara quidem eſt caſtitas, ſed dulcedinem incredibilem affert. In Agnis Dei cera corpus Chriſti, animam aqua, balſamum Diuinitatem, chriſma vnionem hypoſtaticã denotant: præſignauit olim Chriſti humanitatem aries in ſacrificio Iſaac vnigeniti, dilectiquè filij, qui eius vice fuit ab Abrahamo immolatus Deo, vnde diſtichon illud rude at priſcum, atque Myſticum, *Nil Iſaac patitur, aries dum victima; Chriſti Nil Deitas patitur, cum patiatur homo.* Verum quàm purius expreſſit Agnus, quẽ Moyſes abs Iſraëlitis in Phaſe, ſeu Paſchatis celebritate coqui, & comedi ſtatuit, quemque non coquendum ab Herode ſcilicet in lacte matris ſuæ, ſiue à bimatu, & infrà, ſicuti vetuit Deuteron. c. 14. ita prædixit; at in ara Crucis torridum Sacerdotem, hoſtiamquè fuiſſe Numini acceptiſſimám ad expianda mortalium peccata, odorante Domino ſuauitatem odoris, agnoſcimus, &

prædicamus. Ne verò loca Iſaiæ,& Hieremiæ proferam,quæ congeſſit S.Gregorius Nazianzenus oratione 42. in Paſcha, vbi Chriſti, & Agni parallelum eloquentiſſimè deſcribit.Protenſo digito indice Ioannes Baptiſta, & Præcurſor, quem deſcripſit indice, polliceque adductis Ioannes Euangeliſta, & Apoſtolus c. 1. Apocalypſ. & epiſt.1.c.1. Andreas vtique Apoſtolus fratri ſuo Petro, qui minor ætare,ac vocatione poſterior, ſed dignitate maior, Apoſtolorum quippe *Coryphæus*, vt conſonat. Petrus *quaſi Agnum immaculatum Chriſtum* vocat epiſt.1.c.1. Andreas Aegeæ Proconſuli reſpondit: *Se quotidie Deo immolare immaculatū Agnum in altari, quem poſteaquam omnis eredentium populus manducauit, Agnus, qui ſacrificatus eſt,integer perſeuerat,& viuus*, vt habent Acta Paſſionis S.Andreæ à Presbyteris Achaiæ perſcripta. *Epiſcopus* (vti ſcribit S. Hieronymus in epiſt. ad Fabiolam) *carnes Agni ore ſacrato conficit*, id eſt Chriſti. Pierius Valerianus docet in Hieroglyphicis, Chriſtum ſignificatū per Agnum purpureum, quia ſanguine ſuo profuſo purpuratus nos redemit, vt effatur S. Auguſtinus ſerm. de Cain, & Abel, & in Ioan. & Rupertus Abbas Tuitieñ. lib.3. c.11. de Victor. verb. Dei egregiè,per Paſchalem præſertim e S. Auguſtino lib.2. ſentent. ſeu Quæſt.

Anto-

Antonius Brixianus in Commentar.Symbolic. Agnum viſum ſuper altari Card. Petrus Damiani prodit lib. 6. epiſt. 25. In labro fontis Lateranenſis Agnus ex auro puriſſimo penſans libras 30. fundebat aquam ſub Conſtantino Aug. e Baronio. in Apſide Templi SS.Coſmæ, & Damiani Romæ tempore Felicis IV. Papæ conſtructa, Muſiuoquè decorata, viſuntur Agni, qui ſanctiſſimos Chriſti Apoſtolos exhibent, auctore Boſio lib.6. cap. 12. *della Croce Trionſante*. At in Muſiuo antiquæ Baſilicæ S. Petri, quod Innocentius III. inſtaurauit, hinc expreſſa erat Hieruſalem, inde Bethlehē, ex vtraque Agni exibant, qui Chriſtianos referrent, penſileſquè ardebant in portis Lampades,quæ Fidei veræ lumen exortum,radianſquè ſignarent. In Baptiſterio Cōſtantini,quod omnibus ſuis ornamentis denudatum, quo tēpore ſcribebat Panuinius, reſtituit nunquam ſatis laudandus, & omni laude maior glorioſiſſimæ memoriæ Vrbanus VIII. Pont. Max. & picturis, columnis, ac laqueari affabiè ſculpto, deauratoquè magnificè illuſtrauit, inciſi verſus nuncupant Agnos luculenter primæuos Chriſtianos e fonte Baptiſmi emergentes. *Circumdatquè rudes feſtis balatibus Agnos*.apud Paulinum epiſt. ad S. Seuerum id probatur dilucidè. Αμνὸι χρυσουφαντοι panni erant, in-

qui-

quibus Agni pictura texta viſebatur, ſiue imago Agni, qua Ieſus Chriſtus Dominus noſter verè demonſtratur in ἐπιτραχηλίῳ, ſiue orario, quod Sacerdotes circa collum geſtant, e Bullialdo in Nott. ad Hiſtor. Ducæ. Narniæ ſuper ianuam cryptæ S. Iuuenalis in marmore ſpectatur Crucis ſculptura, & duorum Agnorum hinc inde ſeſe reſpicientium, qui S. Caſſium, eiuſquè coniugem Fauſtam denotant. erat ille Epiſcopus; & iſta ſoror e coniuge facta, vti Theraſia Paulino. Epiſcopus pallium habet humeris circumtectum, inſtar Paſtoris imponentis humeris ſuis ouem, quam perdiderat inuentam c.15. S. Lucæ, vt explicat Iſidorus Peluſiota lib.1. epiſt.136. cuiuſmodi effigies erat inciſa Calici, e Tertulliano lib. de pudicit. Card. Paleottus de Imagin. lib.2.c.48. Pallium illud e lana contextum Agnorũ, quod Epiſcopis tribuitur ex priuilegio, at Archiepiſcopis ex dignitate tot tit. ext. de auctor. & vſu Pall. Chriſtum exprimit, qui hominem errantem in cælum reportauit quibus humeris Crucem tulit. Sumitur ex altari S. Petri, cui ſuperponitur. vt in lib. 1. ſect.9. c. 2. Cæremon. S. R. E. Agni, e quorum lana cum alia miſta pertexebantur pallia Epiſcopalia nutriebantur olim Romæ à Monialibus Monaſterij Sancti Andreæ, quod erat inter S. Marcelli Eccleſiam,

ſiam, & Baſilicam SS. Apoſtolorum, ad quam propiùs accedebat, & in quo erat Oratorium S. Thomæ, vbi veſtem ad altaris vſum obtulit Stephanus Papa VI. anno circiter 885. & eligebantur candidi, ac ſine macula. Poſtea cura tranſlata fuit ad Moniales S. Agnetis via Numentana extra Vrbem; hodie ſpectat ad Virgines Deo deuotas, & Moniales S. Franciſcæ, ſeu Turris Speculi: dũquè canitur Agnus Dei inter Miſſarum ſolemnia, offeruntur Agni ſuper altare. Sed plura Panuinius in ℣. Pallium Interpret. voc. obſcur. Eccleſ. & ego in Diatriba, quam de pallio, veſtibuſquè ſacris cõſarcinaui. Vti Thomas Morus pro baculo Paſtorali Epiſcopis cereũ adſignauit in ſua Vtopia, ita Horoſcius pro vellere aureo, ſeu torque, quo Rex Hiſpaniæ, vt hęres Burgundiæ Ducum, fidos, delectoſquè conſueuit Equites inſignire, tribuit Epiſcopis Agnos Dei. Equeſtrem aurei Velleris ordinem inſtituit Philippus Bonus Dux Burgundiæ anno 1431 ex Vvendelino in Encæn; ſiue illud vellus à Gedeone, ſiue ab Iaſone mutuatus ſit, vti viſum Genebrardo in Chronograph. Gulielmus Baldeſanus ad Thebæos milites retulit e Panciroelo in c.48. Notit. Imper. Orient.

CAPVT DECIMVM.

ALtius originem Agnorum Dei perſcrutari libet. Neque deſunt, qui eos excogitatos arbitrentur, ſolemnemquè ritum ijs benedicendi, & eos geſtandi, ad abolendam corruptelam, profanumquè morem, & conſuetudinem prauam, ac ſuperſtitioſam tollendam ferendi προβασκανία, bullas re turpicula ſæpiùs conſignatas, & obſcœna, Præbia, Phylacteria Magica, Encolpia, & Periapta, Charagmas, & torques, annulos, gemmas, & quæ Arabes perperam Græciſſantes pro τετελειωμένοις Taliſman appellauerunt, de quibus & Diatribam cõſcripſi. Bullam ceream Agni Dei e collo demiſſam vocat Franciſcus Scorſius in Latio Chriſtiano laudatquè Propertij verſum, *Hic vbi bulla rudi demiſſa eſt aurea collo*. Sed quid opus erat, cum tam multa eſſent apud Chriſtianos amuleta ſacra etiam e collo pendula? Nam & Reliquiæ Sanctorum ſuſpenſæ ferebantur e collo, vti docet Loaiſa in notis ad Concil. Hiſpan. & ſacroſancta Euchariſtia in pyxide appenſa collo geſtabatur, ita Saturus frater S. Ambroſij, vt ipſe Sanctus teſtatur Orat. de illius obitu, ita Birinus Epiſcopus ab Honorio I. miſſus in Angliam geſtaſſe illam traduntur à Coriolano

in Breuiar. Concill. Cruciculam argenteam Zacharias diſpenſator S. Ioannis Eleemonis Alexandrini Patriarchæ, e Leontio in eiuſdem Sancti Vita, cuius ſucceſſori Gregorius Magnus tranſmiſit quoque *Crucem paruulam, in qua de catenis SS. Petri, & Pauli erat inſerta Benedictio, quæ aſſiduè ſupponitur eius oculis*, lib. 11. epiſt. 49. & ad Dynamium Patricium Maſſiliæ Rectorem curantem Patrimonium S. Petri in Gallijs lib. 2. epiſt. 33. apud Baronium etiam ad annum 593. Crucem itidem paruulam, in qua *de catenis Petri beneficia ſunt inſerta, quæ illius quidem ad tempus ligauerunt, ſed iſtius colla in perpetuum à peccatis ſoluant*. ipſe S. Gregorius Crucem pectoralem ad collum ferre conſueuerat Reliquijs Sanctorum refertam, comprehenditurquè nomine Phylacteriorum apud Ioannem Diaconum in Vita Sancti Gregorij M. lib. 4. c. 20. apud Baronium inſuper ad annum 604. Epiſcoporum collo appenſam Crucẽ cum Reliquijs, catenulaquè aurea obſeruauit Fileſacus de ſacr. Epiſc. auctoritate. Ab antiquis vſque temporibus miſit Phylacteria S. Gregorius M. ad Theodelindam Longobardorum Reginã, ſimilia lib. 12. epiſt. 7. & Crucem, cui eius, in qua Chriſtus pependit, lignum erat inditum, Adulovvaldo filio; at Recaredo Hiſpaniæ Regi *clauim paruulam à*

ſacra-

ſacratiſſimo Beati Petri Apoſtoli corpore ſumptam, in qua ineſt ferrum de catenis eius incluſum; vt quod collum illius ad Martyrium ligauerat, eius collum ab omnibus peccatis ſoluat lib.7. epiſt.26. & apud Baronium ad annum 599. ne quid dicam de gemmis annulorum, in quibus primæui Chriſtiani curabant inſculpi, vel incidi naues, columbas, anchoras, piſces, piſcatores, vt meminiſſent Apoſtolorum, & Chriſti potiùs, Græcè namque ἰχθὺς dictus fuit: eum, ſi expendantur ſingulæ litteræ, conficiant initia vocum. ΙΗΣΟΥΣ. ΧΡΙΣΤΟΣ. ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ. ΣΩΤΗΡ. & Chriſtianos in aqua Baptiſmi natos ſignificaret e Clemente Alexandrino lib.3. c.11. Pædagog. Tertullian. lib. de Baptiſm. c.1. Optato Mileuitano, apud Rutgerſium c.1. lib.6. var. Lect. neue inaures recenſeam, de quibus mox agam, & ne immorer in exiguis imaginibus S. Meletij Antiocheni Archiepiſcopi, quas in palis annulorum, in poculis, in phialis, in thalamorum parietibus expreſſas Antiocheni ferebant, e S.Ioan.Chryſoſt. Homil. 45. de S. Meletio. aut in imaginibus paruulis Symeonis Stylitæ, quas Romani Opifices in omnium Officinarum veſtibulis, & in porticibus affigebant hinc ſibi auxilium, ac tutelam parantes, vt ſcribit Theodoretus in eius vita die 5. Ianuarij apud Surium, & refert

ſert Cardinalis Baronius in Martyrolog.ne de-nique me demittam ad cucurbitas vaſculorũ, in quibus imprimebant Romani effigies Apoſtolorum. id teſtatur S. Hieronymus in c. 4. Ionæ, quæ Gaucomaria vocant, ſeu Cucumaria, & Galli *Coquemaris* à voce Cucumis, de qua Cuiacius c.7. lib.6. & c.15. lib.10. Obſeruat. Iur. & Alciatus lib.12. Parerg. de caucis, caucalis, ſeu caucalibus, vnde Gallorum *gobelets*, & Italorum *boccali* trahuntur, copioſè Salmaſius in Hiſtor. Aug. & Roſvveydus in Onomaſt. ad Vitt. Pat. ego potius à bucca deduxerim. S. Cæcilia ſemper Euangelium Chriſti gerebat in pectore Act. Paſſion. vbi Boſius & S. Barnabas, & collo appenſum mulieres, de quibus S. Ioannes Chryſ. Homil.73. in Matth. & S. Thomas 1.2. quæſt.96.art.4. Succeſſerunt SS. Petri, & Pauli ſtanneæ, & plumbeæ icunculæ, quæ Romæ Peregrinis ſolebant diſtribui, vt docet ex Innocentio III. Torrigius in Cryptis Vatic. ſacra etiam ex ære, varijſque præterea metallis Numiſmata, quæ Pius V. ſanctiſſimæ memoriæ Pontifex induxit, vt in Belgio potiſſimum Catholici diſtinguerentur à Gueuſijs Hæreticis numos plũbleos, & æreos collo apponentibus, vt auctor eſt Gabutius in Vita Pij V. lib.6.c.2. ac paupertatis falſa ſpecie inhiantibus auro Eccleſiarum, quas ſpoliarũt,

& im-

& impiè, ac ſacrilegè denudantes expilarunt. de Bullis Pignor in menſa Iſiaca, & Ioa. Iacob Chifflet. in Anaſtaſ. Childer. atque Antiquarij. De Phylacterijs, Ligaturis, Pyctaciolis, Breuicolis, & alijs remedijs ſuperſtitioſis S. Auguſtin. lib. 2. c. 26. & 29. de Doctrin. Chriſt. Gratianus in c. Romana 15. diſt. c. ſi quis diſt. 79. & tota cauſſa 26. quæſt. 5. l. eorum, §. nullis, C. de Malef. & Math. Plutarch. Plin. Soſipater Chariſ. Ammian. Marcellin. Sammonic. Seren. Turneb. Caſaubon. Ioſ. Scaliger. deque auertendo faſcino, quo Agni quoque impetebantur, vnde apud Virgilium queritur Paſtor. *Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat Agnos.* De amuletis, & periaptis Aegyptiorum, deque icunculis fictilibus, quæ reperiuntur in thoracibus cadauerum conditorum, R. P. Athanaſius Kircherus Soc. Ieſu Presbyter omnigenæ promus condus eruditionis Tom. 3. Oedip. Aegypt. Syntagm. 19. & Tom. 1. Syntagm. 1. c. 7. qui cenſet eas eſſe Teraphim, ſeu Idola Labani, de quibus c. 31. Geneſ. & ipſe Syntag. 463. Sacerdotes Aegyptiorum in gemma exſculptam veritatis effigiem e collo pendentem habuere ex Aelian. Polyh. l. 14. c. 35. & Diodor. Sicul. ac Iunio l. 2. de pictura vet. At Deus Opt. Max. iuſſit vt Pontifex Hebræorum Rationale portaret ante, & ſuper pectus ſuum,

quod

quod ex auro, Hiacynthis, purpura, cocco bis tincto, & byſſo retorto conſtaret, intextis 12: gemmis, ſeu lapillis pretioſis, eſſetquè affixum Superhumerali catenulis aureis, doctrinamquè ac veritatem contineret, vti deſcribitur Exodi c.12. vetus quidem eſt artificium Diaboli, cuius innumerabiles exſtant nocendi artes, cerea ſigna effingere ad cruciandos, & necandos homines. Hypſipyle apud Ouidium in Epiſt. ad Iaſonem canit de Medea. *Deuouet abſentes, ſimulacraquè cerea fingit, & medium tenues in iecur vrget acus*, apud illum lib. 3. Amor. Eleg. 6. *Sagaque Phœnicea defigit nomina cera*, cum eodem pentametro, Faſtor. etiam lib. 2. Horat. lib. 1. Satyr. 8. Virgil. Eclog. 8. vbi Seruius: *Limus vt hic dureſcit, & hic vt cera liqueſcit*. M. Delrio lib. 3. Diſquiſ. Magic. q. 3. ſect. 1. par. 1. & q. 4. ſect. 5. Creſpet. de odio Satan. diſc. 20. Paul. Aemyl. lib. 8. Hiſt. Franc. Iunius lib. 3. de pictur. ver. Non tamen ad hæc depellenda, nec ad eliminandas, abigendaſquè ſuperſtitiones illas primariò fuit inuectus in Eccleſiam Agnorum cereorum Dei vſus, neque vice Bullarum profanarum, & amuletorum dati fuerunt initio, nec ea mens directa fuit Romanorum Pontificum. nihilominus cum Agni Dei à Chriſtianis geſtati fuerunt e collo penſiles pia cum fiducia, & illa maleficia

repreſſa ſunt, ac contuſa, & profana, ſuperſtitioſaquè amuleta, eorumquè abuſus penitùs exoleuerunt cedente Cacodæmone potentiæ Diuinæ, & diſcuſſis, fugatiſquè præſtigijs vanis, quibus tamquam offuſa caligine ille humanis mentibus illudebat, ob ſplendorem irradiantem e Rationali veritatis, & doctrinæ, ex Agno nempe viuo cereorum Agnorum exemplari.

CAPVT VNDECIMVM.

OPinati ſunt alij Agnum Dei fuiſſe apud Chriſtianos ſymbolum, & typum, ſeu figuram Agni Paſchalis, quem ſolemnibus cũ cæremonijs comedebant Hebræi, ſicuti præſcriptum erat c. 12. Exodi. Hos inter exſtitit R. P. Vincentius Bonardus Ordinis Prædicatorum, cuius opus de Agnis Dei Italico conceptum idiomate, & editum Romæ anno 1586. in quarto, verſumquè in Gallicum prodijt, & Lugduni anno 1603. in octauo; eratquè in Bibliotheca Cordeſiana: Hic vero ad Epiſcopatum Hieracenſem deinde prouectus eſt: Antonius Marſilius Columna Salernitanus Archiepiſcopus ſect. 3. Hydragiol. Benedictiones recenſens, quibus Eccleſia vtitur ad ſanctificationem, eiuſque vim per Diuini auxilij imploratio-

rationem, adnumerat illis Benedictionem A-gnorum e cereo Paſchali à Romano Pontifice diffundi ſolitam, & iſtum Bonardum eorum originem diſertè perſequutum affirmat; Prætereà contendit Bonardus cereum Paſchalem typum eſſe columnæ, quæ noctu deduxit Iſraelitas in ſolitudine, igneaquè præiuit, vti narratur c.13. Exodi, exponitquè Amalarius c.18. de Diu.Offic. & videtur alludere Præfatio, quam canit in Eccleſia Diaconus cereo Benedicens hiſce verbis, *Sed iã columnæ huius præconia nouimus, quam in honorem Dei rutilans ignis, accendit.* Obſeruat verè R. P. Raynaudus haud ſolitam Eccleſiam ritus Iudæorum, vel facta recolere, neque Cæremonias Eccleſiæ typos eſſe Cæremoniarum Synagogæ certum eſt, cum ipſo in primo Concilio ab Apoſtolis habito Hieroſolymis Actorum c. 16. iugum illud impoſitum populo duræ ceruicis excutiendum, nec ab hominibus bonæ voluntatis,quibus in ortu Chriſti pacem nuntiarant Angeli,ferendum illi cenſuerint c.2.ad Galat. cumque omnia Iſraelitis contingerent in figura, ſignificarentque potiùs res à Chriſto gerendas,& portenderent Eccleſiæ myſteria: notat Genebrardus Archiepiſcopus Aquēſis Pſalmos pleroſque inſcriptos εἰς τὸ τέλος ad finem, referri ad Eccleſiam, ſiue ad tempora Chriſti,

quæ appellantur à S. Ioanne epiſt. 1. c. 2. nouiſſima, quia his nulla ſucceſſura ſunt, & in ipſis erit conſummatio. lxx. Interpretes perpetuò reddiderunt, ad myſterium; in tit. Pſal. 4. Rabbi Kimhi, ad futurum venire, ſeu ad Meſſiæ ſæculum, deque vocatione gentium Theodoretus in c. 17. explanat. Chriſtus profectò τέλος fuit, & πλήρωμα, ſeu plenitudo, & *finis legis*, e S. Paulo ad Roman. c. 10. ad quem, velut ad centrum lineæ concurrunt ductæ à circumferentia; ita paginæ omnes, actuſquè antiqui fœderis contenderunt, ídque Chriſtus Dominus inſinuauit c. 16. S. Matthæi, & c. 5. S. Lucæ. dum ait: *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant*, & ſæpiùs legitur in Euangelio, vt *complerentur Scripturæ*, Cereus autem Paſchalis Sabbato ſancto ſacratus, & Benedictus deſignat Chriſtum electos deducentem ad cæleſtem Beatitatem, vti iam inſinuaui. Quamobrem labat hinc quoque ratio, quam afferunt illi, qui putant Agnos cereos effictos, vt eſſent iuge, ac quotidianum Baptiſmi Chriſtiani monimentum, quia immerguntur Agni, quemadmodum cereus Paſchalis, & in aquam demittuntur ad Baptiſmũ Hebræorum *ſub Moyſe in nube, & in mari*, de quo loquitur Apoſtolus 1. ad Corinth. c. 10. adumbrandum, quæ fuit opinio Honorij Augusto-

guſtodunenſis lib.3.Gemmæ c.102. referente Raynaudo; nam ex ipſo Apoſtolo euincitur illa *Hebræis in figura noſtrum facta eſſe, vmbramquè habebat lex futurorum bonorum* ſiue Chriſti c.10. ad Hebræos. Honorius verò ille, qui anno 1220. floruit, nihil de Agnis Dei dicit, ſed de cereo tantum Paſchali loquitur; vt ad quartam ſententiam progrediar, quæ ad iſtam tertiam accedit, debet quidem eſſe perpetua recordatio Baptiſmi, eamquè ſummi ad vitam ſanctiùs exigendam fore momenti iure merito perpenderunt Patres Concilij Pariſiēſis ſub Ludouico Auguſto, vtque aſsētiar Guidoni Aretino, qui ad annum 1024. vixit, in Micrologo, tradenti apud Romanos annotinū Paſcha celebrari quaſi diem anniuerſarium Baptiſmi abs his, qui tincti fuerant in priori Paſchate, anno redeunte, quique conſequebatur; conueniebant enim iſti ſimili die, offerēbantque ſolemniter, ſicut Epiſcopi Natalem Cathedræ, ſeu Pontificij ſui diem, quo nempe fuerant electi, vel conſecrati, conſueuerant celebrare (vt inquit Raynaudus) ſed Epiſcopis id erat facillimum, qui habebant eo die ſermones ad populum, cuiuſmodi exſtant SS. Gregorij Nazianzeni, Eucherij, Auguſtini, atque Leonis, dicebantur ad ipſos Epiſcopos Panegyrici, vt Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi, Pe-

tro Rauennati, & Laurentio Mediolanenſi, cogebant etiam Epiſcopi Synodos. ita S. Xyſtus, ſeu Sixtus Epiſcopus Romanus, S.Damaſus, S.Hilarius, & Anaſtaſius eius ſucceſſores. Ferrar. lib.21.c.35. de rit.ſacr.Concion.Cardinalis Baronius in Martyrol. die 18. Ianuarij, Roſvveyd. in epiſt. S. Paulini, Morin. lib. 2. Eccleſ. Liber. la Cerda c.167. n.18. Aduerſ. ſacr. Sirmond. in Nott. ad Ennod. At ſingulis Chriſtianis, qui huc illuc proficiſcebantur, laborioſum, & dies ille, qui addictus fuiſſe dicitur Baptiſmo ab Eccleſia vniuerſim quoad omnes in memoriam reuocando, ſi ſuit Octaua Paſchæ quotannis recurrens, ſeu Dominica in Albis, quæ vocatur ab Alcuino in epiſt. ad Carolum M. Paſcha clauſum, ita vt Paſcha primarium, ſeu exemplar omnium Dominicarum ſitum eſſet inter Paſcha Floridum à Richardo Victorino dictum, & Petitum ab Albino propter competentes; ſeu Ramalia, vel in Ramis Palmarum ac inter Annotinum illud Paſcha, quod anniuerſarium Honorio ſupraſcripto, & Νέα Κυριακὴ SS. Gregorio Nazianzeno Orat.43. & Ioannis Chryſoſt. Orat. de nou. Domin. ac Syris e Schultingio, Teſtam. Syriac. ad c.1. epiſt. S. Petri, & Vicecomit.l.5. c.53. de Antiq. Rit. Bapt. quaſiquè medium interponeretur. Latinis profectò nuncupatur

Do-

Dominica in Albis, ſeu poſt Albas, vt loquitur in Sacramẽtario S. Gregorius M. vel Quaſi modo, ab initiali Introitus Miſſæ; Albæ nimirum veſtes deponebantur Sabbato anteriori à Neophytis, atque à miniſtris ſeruabantur e Victore Vticenſe lib.3.de perſequut. Vandalica. Etenim ſi dies aliquis propriè reſpondens annuæ celebritati Baptiſmi publici præſtituendus erat, debuit is eſſe Sabbatum ipſum in Albis, aut Sabbatum antè Paſcha, quo Baptiſmus publicus celebrabatur; ſed & ſi fuit Octaua Paſchæ, ſeu Dominica in Albis ad recolendam memoriam ejus delecta, quod auctorum ſupraſcriptorum teſtimonio, Honorij nempe Auguſtodunenſis, & Guidonis Aretini aſſeritur, nõ tamen inde cõſequitur ea de cauſſa diſtributos fuiſſe illa Dñica olim ab Archidiacono Agnos Dei, diſtinguenda nãque ſunt tempora, vt infrà demonſtrabimus. Hanc tamen ſententiam amplexus eſt Raynaudus, voluitquè iſta Dominica in Albis, ob ſolemnem, & annuam recordationem Baptiſmi publici diſtribui Agnos cereos, vt his quaſi aptiſſimis ſymbolis Chriſtus deſignaretur, ſiue incarnatum, paſſumquè Verbum, ipſiuſque regnantis gloria connotaretur, cui nomen dederant initiati, & ipſummet pridem profeſſi, atque in Baptiſmo e Chriſto, & Eccleſia nati, vnde perele-

ganter, ac eruditè diſſerit de Chriſti connubio cum Eccleſia, de natorum Horoſcopo, ac nobilitate, deque officijs erga patrem, matrem, fratres, atque ſeipſos opus quaſi teſſellatum e varijs Sanctorum Patrum ſententijs admirabili arte contexit. Ego ipſi Raynaudo amicitia coniunctiſſimus, eiuſquè doctrinæ admirator, & cultor confido mihi facilè ab eo condonatum iri, ſi hanc eius ſententiam haud ſequar, quippe quæ nec Agnorum originem detegit, antiquior quippe, Apoſtoliciſquè temporibus coæua, & ſuppar fuit, neque declarat perſpicuè, ac dilucidè, verùm ſymbolicè, myſticèque potiſſimùm Agnorum ſignificationes explicat; neque probationem vllam affert, e qua liqueat ob illam feſtiuitatem anniuerſariam Baptiſmi, Dominica poſt Albas, Agnos Dei fuiſſe datos à Pontifice illis, qui antè annum fuerant Baptizati, neque verò afferre poteſt, cum feſtiuitas hæc recentior ſit Agnorum largitione; quæ illam decem ferè ſæculis præceſſit. Eſt & amica contentio, ἀγάθη δ'ἔρις ἣ δὲ βρότοισι. pangit Heſiodus quin etiam opinionũ diſſimilitudo tantum abeſt à ſimultate, vt ſæpiſſimè non modò qui ſententia diſcrepant in amore conſentiant, ſed etiam, qui exercent ipſi ſimultates iudicio congruant, imò quod Card. Baronius in Martyrolog. Rom. die 28.

April. de ſe, deque Hieron. Rubeo Rauennatis Hiſtoriæ ſcriptore diſertiſſimo perſcripſit. ſi ſuboriatur inter nos aliqua contentio, non inde (vt aſſolet) liuor, vel æmulatio intercedet; quin veluti tenacioribus quibuſdam amoris vinculis mutua inter nos beneuolentia ſtringetur. Doleo tamen non parum quod toties, tamquè acerbè carpat, amariuſquè traducat Ponuinium, præſertim quod exiſtimarit Agnorum immerſionem ſucceſſiſſe Cathecumenorum Baptiſmo publico, cum tamen non valdè diſtet Raynaudi opinio, dum ſentit ad memoriam annuam Baptiſmi publici diſpertitos Agnos fidelibus. huius enim memoriæ celebritas fuit inſtituta ſerius, diuquè poſt deſuetudinẽ Baptiſmi publici, qui ſub Carolo M. & Ludouico Pio non vſurpabatur, cũ paruuli Baptizarentur ob pericula, nec differretur Baptiſmus, rariquè adulti tingerentur: Quando autem Sabbato Paſchali quotannis Baptiſmus publicus peragebatur, quod nemo inficias ibit: Nonne ſuperuacaneum erat illius ſuſcepti diẽ anniuerſarium indicere, quid enim erat neceſſum memoriam Baptiſmi publici renouare, cum Baptiſmus repeteretur, dumquè ſicut anno anteriori miniſtratus, impenſuſquè fuerat, ita poſteriori conferebatur alijs fidelibus, præſens præteriti memoriam ſatis

ſuſci-

ſuſcitabat, & refricabat. Certè ſicubi hallucinatus eſt Panuinius, meretur tamen veniam, vt qui tot Scriptores, quorum opera poſt obitum eius emerſerunt, perlegere non potuit, nec lucubrationes ſuas retractare præ illarum multitudine, præque vitæ breuitate, cum præreptus ſit immatura morte, annoque ætatis XXXIX. vt in eius Epitaphio legitur Romæ in S. Auguſtini, abſumptus, imò promeretur laudes, & præmia; quiſquis autem Eccleſiaſticā callere cupit Hiſtoriam, eius monumenta peruoluat, plurimumquè ſe illi debere agnoſcet, primus quidem glaciē (vt ita dicā) ſeruit, viaſq. nullius pede tritas princeps ingreſſus de rebus hactenùs intactis terſiùs, & politius orſus ſcribere cæteris, qui decurrerūt hoc in ſtadio deinceps, & cōmentati ſunt, quaſi facem prætulit, iterq. comiter viſus commonſtrare. Hoc quidem excerptum de Baptiſmate Paſchali, & Agnis Dei Romæ anno 1560. editum, Fr. Ioſephus Pamphilus Veronenſis, & Onuphrij popularis Ordinis S. Auguſtini, & ita ſocius, vertit in Italicum, & publicauit itidem Romæ anno 1566. Epiſcopus Signinus, & Sacriſta Pontificius fuit, atq Chronicon Ord. ſui concinnauit idem, in quo ſcriptos à ſe libros tres de ſacris ritibus Baptiſmi, Chriſmatis, & ſanctæ Euchariſtiæ ad annum 1579. gloriatur. Raynaudus,

dus,vt eſt ſolers, non inſcius quam parum firmis niteretur ipſius ſententia fundamentis,oppoſuit ſibi duo, inprimis. quod non in Paſchate ſolummodò, verùm & in Pentecoſte Baptiſmus publicus,ſeu Generalis celebrabatur,ideoquè diſtribuendi erant iterum , Benedicti denuò in ſolemnitate Pentecoſtes, Agni,& anniuerſaria feſtiuitas Baptiſmi publici alia inſtituenda,quod validè motum non reſoluit,dum reſpondet dari etiam in Pentecoſte ſolitos Agnos, nam id nullo modo probat,& fortè tunc Baptizatis,qui Chriſmate delibuti, & Corpore Chriſti ſaginati fuerant,datꝑs intelligit : At & Benedici debebant illi rurſus,& annotina Pẽtecoſte indici ad memoriam Baptiſmi. quoties verò Baptizabatur aliquis ſiue publico, ſiue priuato Baptiſmo , & confirmabatur vnctus Chriſmate in fronte ab Epiſcopo,manibus ſuper caput impoſitis, & Euchariſtiam percipiebat,Agnus illi cereus adſignabatur, vt mox dicam,ſed Agni non Benedicebantur,niſi in Paſchate, conſequentequè Hebdomade. Obijcit ſibi ſecundò fragmenta , & particulas Agnorũ geſtari, nec eſſe integra, perfectaquè Chriſti ſymbola, quando Chriſti figuram imperfectam exhibent; ſatisfacit autem huic argumẽto aſſerens moraliter ſufficere ad Chriſtum referendum Agni fruſtum quodlibet , vel tantillum

lum, vti ſatis eſt aquæ conſecratæ, ſeu Benedi-ctæ gutta pro expiatione; prudenterquè cauet abſtinendum à comparatione Corporis Chri-ſti in ſacroſancta Euchariſtia. Quia in Con-firmatione Spiritus ſancti fortitudo in animos fidelium illabitur, & illi corroborantur ad per-ferendos quoslibet cruciatus, indelebiliquè charactere imprimitur virtus ad coronam per-ſeuerantiæ, cur non illius anniuerſarius agitur dies? cur non Agnus cereus quoque ipſis, qui cõfirmantur diuiditur vti ſymbolicum Diuini Agni monimentum? ſententia hæc Raynaudi locum habere potuit, poſtquã receſſit ab aula, deſijtq. celebrari publicus Baptiſmus, quo ſin-guli quãuis ſeorſim, priuatimq. Baptizati, vni-uerſim admonerẽtur quaſi præſtiti ſua in tin-ctione ſigillatim Sacramenti, & pollicitationũ editarum, collatæquè gratiæ. Sicque cum Pan-uinio videtur conſpirare Raynaudus, qui ta-men ab eo tam vaſto diffidere ſe iactat inter-uallo, & tot quaſi Paraſangis, dum illum Di-uinationibus indulgere voluntarijs, & perpe-ram opinatum Agnos cereos, cum immerge-rentur, ſubſtitutos Baptiſmo publico queritur, datos tamen fatetur anteà vice Bullæ profanæ Onuphrius. Ipſe verò Raynaudus dũ Annotino in Paſchate cenſet Agnos Benedictos, & im-merſos aquis, ac impenſos Chriſtianis Neo-

phy-

phytis ad memoriam Baptiſmi cõmunis Chriſtum deſignaſſe, conſentit eorum Benedictionem, & immerſionem Baptiſmo publico ſubrogatas, ritumque Agnorum tum inclaruiſſe. Depromenda tandem aliquando mea eſt ſententia, quæ manifeſtè colligitur ex allatis.

CAPVT DVODECIMVM.

CVm Baptizati veſtes albas exuerent, quas induerant in Baptiſmo candoris indices interni, vt Vicecomes narrat c.6. lib.5. de Cõfirmat. ſeſe offerebant Pontifici, qui Chriſmate in Cœna Domini iuxtà inſtitutum Fabiani Papæ recèns ſacrato illos liniens in fronte Cõfirmabat, adiungebatur enim Chriſma, ſeu Cõfirmatio Baptiſmo tamquam complementum e Melchiade, ſeu Miltiade Papa c. 3. epiſt. ad Epiſc. Hiſpan. S. Paciano lib. de Baptiſm. & S. Dionyſio c.4. Eccleſ. Hierarch. qui τελείωσιν, ſiue ſacroſanctam perfectionem Diuinæ Generationis vocat, quia conſummat, & firmat fideles, inde huic Sacramento fuit inditum nomen *Confirmationis*, à S. Ambroſio c.8. lib. de Initiand. vſurpatum inprimis, S. Cyprianus lib. de operib. Cardinal. appellauerat *Signaculum Domini*, & epiſt.80. 72. 73. *ſigillum* Cornelius Papa penes Euſebium lib.6. Hiſt. Eccleſ. c.35.

Perſe-

Perfectionem idem Ambroſius lib.3.c.2. de Sacram. τελέτην S. Cyrillus Hieroſolym. in Catecheſ.2 & 3.Myſtagog. βεβαίωσιν τῆς ἐξομολογίας S. Clemens Romanus lib. 3. Conſtit. c. 16. & S. Clemens Alexandrinus apud Euſebium l. 3. c. 17. Hiſt. Huiuſce Sacramenti meminit, & Tertullianus c.40. de præſcript.c. 8. de Reſurrect. Carn. c.8. de Bapt. c.3. de Corona militis hiſce verbis:*Caro vngitur vt anima conſecretur, caro ſignatur vt anima muniatur, caro manus impoſitione adumbratur vt anima ſpiritu illuminetur*, & alibi *ſignat illic in frõtibus milites ſuos*, quin & c.5. adu. Praxeam, & c.14. adu. Marcion. oleo curabant infirmos Apoſtoli apud S. Marcum c. 6. imponebantquè manus fidelibus, vt acciperent Spiritum ſanctum cap. 8. Act. oleo firmabantur illi, cui miſcebatur Balſamum, e S. Gregorio in c. 1. Cantic. nobilis ille ſuccus vni terræ Iudęæ conceſſus e Plinio lib.12. c.25. & e Diodoro lib.19. Biblioth.ſiue in Engaddi monte,vbi Xylobalſama ſudabant Opobalſamum, ſiue in viridario propè Hiericuntem e Strabone lib.16. Geograph. natus,& collectus, vnde propagatus fuit in Aegyptum haud procul à Memphi, inquè hortum tranſlatus Chriſti Domini clarum incolatu, e Proſper. Ceſalpin. cap. 6. de plant. Peregrin. vbi hodiequè non profluit. e Petro la Valle in

Itiner.

Itiner. Erat autem oleum, ſeu Chriſma in altari ſanctificatum e Sancto Cypriano de vnction. ſed illius qui non meminere? Concilia, Elibertinum, ſiue Illiberitanum c. 38. Laodicenum c. 48. Arelatenſe primum c. 2. Meldenſe, Aurelianenſe, Hiſpalenſe, Moguntinum Generale ſextum ſub S. Bonifacio. Patres, Origenes in c. 6. ad Roman. Iuſtinus, Innocentius I. epiſt. ad Decent. Gregorius Nazianzenus, Theodoretus, Amphilochius in Vita Sancti Baſilij, S. Ioannes Damaſcenus quæſt. 137. præcipuè S. Auguſtinus lib. 3. contra Donat. c. 19. & 20. & in Pſalm. 26. & 141. & l. 2. contra Petilian. & l. 15. de Trinit. ac c. 16. Tract. 6. in S. Ioan. Epiſt. Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis lib. de antiq. Eccleſ. Polit. circa Euchar. Hoc oleum, & agnitum fuit ab Ethnicis, eoquè ſanatus videtur Seuerus Auguſtus à Proculo, e Ioſ. Scaliger. in Chronic. Euſeb. & Petito in leges Atticas poſt Tertullianum; illud auguſtiori cōſecrare ritu, numeroſiori Comitatu, ac magnificentiore pompa cœpit Fabianus Papa Martyrio illuſtris, vt Eccleſiam oppreſſam furore, atque rabie Decij Auguſti eo magis tamquam palmam extolleret; ſplendor enim Pontificij iubaris, vel in hoc exortu luminibus eius officiebat, *cum tolerabilius audiret aduerſum ſe Principem æmulum inſurgere,*

quam

quam æmulum Sacerdote leuari, e S. Cypriano dicitur & iſtud Sacramentum *Conſignatio* in Concilijs Hiſpanicis apud Loaiſam. *Poſtquam Presbyter fideles vnxerit in pectore, tangendos eos eſſe in fronte ab Epiſcopo* S. Gregorius M. affirmat lib.3. c.19. Regeſt. & Epiſcopo Cluſino ſcribit lib. 8. c.46. vt Eccleſijs viſitationis officium impendat, *quò ij, qui illic Deo propitio Baptizantur, non debeant inconſignati remanere*. Formula, qua Græci Confirmantur, hæc eſt can.7. Concil. primi Conſtantinopolitani σφραγὶς τῆς δωρεᾶς τοῦ ἁγίου πνεύματος; fusè Gratian. tota diſt. 5. de Conſecrat. S. Hieronymus agens de Ritibus Baptiſmi in Dialog. adu. Luciferian. inducit ita loquentem Luciferianum, *an neſcis etiam Eccleſiarum hunc eſſe morem, vt Baptizatis poſteà manus imponantur, & ita inuocetur Spiritus ſanctus*, mox ſubdit. Orthodoxum reſpõdentem. *non quidem abnuo hanc Eccleſiarum eſſe conſuetudinem vt ad eos, qui longè in minoribus Vrbibus per Presbyteros, & Diaconos Baptizati ſunt, Epiſcopus ad inuocationẽ Spiritus ſancti manus impoſiturus excurrat*. Idem, ſeu quis alius in cap.1. Marci. *Quod conſummatur per ſponſum* (inquit) *incipitur per Paranymphum, vnde Catechumeni incipiunt per Sacerdotem, & chriſmantur per Epiſcopum.* qui *Confirmare* quoque dicitur, ſiue *Crucis vexillo Conſignare* à Vi-

ctore Vticenſi lib. de perſequut. Vandal. Adde can.7. Concilij Laodiceni, S.Baſilium epiſt. ad Amphiloch. Syricium Papam ad Himeriũ Tarraconenſem, Leonem M. epiſt.85. Epilogum Concilij Romani e Silueſtri Decreto, Arauſicanom c.8. & Epaunenſe can.16. Et Spoletanum iſtud Epitaphiũ D. P. PICENTIAE LEGITIMAE NEOFYTAE A LIBERIO PAPA CONSIGNATAE FL. HOSPITIANVS MARITVS VXORI DVPLICEM SARCOFAGVM CVM TITVLO HOC LOCO . . OE . . . . C. . . . POSVIT . . . . M. MERITO . . . . quod olim exſcripſi, ſatis comprobat Sacramenti antiquitatem, id vt conſequerentur Neophyti, ſeu recens Baptizati Sabbato poſt Paſcha conueniebant in Eccleſiam albis adhuc veſtibus induti, quas ſuſceperant in Baptiſmo, vnde Sabbatum in Albis dicitur, quin & Dominica ſequente, interim ſeptem illis diebus pernoctabant vigiles Neophyti, vt Amalarius teſtatur lib.4. c. 27. de offic.Eccleſ.propter Sacramentum præſentis vitæ, & propter ſeptimam diem, qua requiẽ animæ Sanctorũ recipiũt exutæ à corporibus, vel ſeptiformem Spiritum, qui per vnamquãque diem diuerſo cibo alit ſuos, quemadmodum in Pentecoſte. Baptizati aliquando Confirmabantur ſtatim poſt Baptiſmum, vti vult

Vicecomes lib. 1. c. 4. & l. 2. c. 1. de Confirmat. nec abnuerim id vſitatum quoties inſtaret, vrgeretquè neceſſitas, & ſæuiente perſequutione Gentilium, aut poſterioribus ſæculis, aut propter infantes. vt in Ordine Romano apud eũdem Vicecomitem, & Menochium. hic autem primigenium ortum inueſtigamus, & primæua Eccleſiæ naſcentis exordia, quibus adulti tingebantur. verùm ſeptem dies inter Baptiſmũ, atque Confirmationem interceſſiſſe probat ipſe Vicecomes, dum veſtes candidas totidem diebus geſtatas, Vigiliaſquè obſeruatas conſentit, hora tertia Confirmationis miniſterium peragi ſolitum indicans: at Rabanus Maurus lib. 2. de Inſtitut. Cleric. c. 39. euincit, & rursùs Amalarius lib. 1. c. 29. de Offic. Eccleſ. & inſuper Iuo in ſerm. in die Paſchat. Apponam Rabani verba: *Quos dies ſeptem Albas vocitamus propter eos, qui in sãcta nocte Baptizati Albis per totam Hebdomadam vtuntur veſtibus, & tunc maximè dum Alba tolluntur à Baptizatis veſtimenta per manus impoſitionem à Pontifice Spiritum ſanctum accipere conueniens eſt.* Ea Boſius refert in Nott. ad paſſionem S. Cæciliæ, Duranduſquè aſſerit Baptizatos non niſi ſeptẽ diebus poſt Baptiſmum Confirmatos fuiſſe propter dona Spiritus ſancti, quem, vt acciperent illa, ſingulis illis diebus, ſingula, inuocabãt;

adhuc

adhuc candidati: In quibuſdam (inquit lib. 6. c. 8. Rational.) Eccleſijs ſeptem diebus poſt Paſcha cerei Catechumenorum immerguntur &c. Neophyti ergo Dominica in Albis deducebantur à *Patribus Luſtricis*, quos *Patrinos* vocant, & compatres, tuncquè *ſuſceptores*, quia ſuſceperant eos e ſacro fonte, ſine quibus ſicut olim nemo Baptizabatur e Becillo in S. Caio, & Vitis Patrum, vbi Roſvveydus, ac Gloſſographo Gratiani in c. peruenit 30. q. 1. & tota diſt. 4. de Conſecrat. erant enim quaſi *fideiuſſores*, vadimoniumquè præſtabant. S. Ambroſius compellat illos *adductores*, S. Dionyſius ἀναδόχυς in Cæleſt. Hierarch. Tertullian. c. 18. de Baptiſm *Sponſores*, vbi Pamelius, S. Auguſtinus *fidei Doctores*, & S. Gregorius Nazianzenus *initiatores*. Ita etiam nullus Cõfirmabatur abſque Patre Luſtrico e Vicecom. lib. 1. c. 11. de Confirmat. Lutolph. Saxon. in Vit. Chriſt. par. 1. c. 24. Hygino Papa apud Gratianum diſt. 4. de Conſecrat. c. 10. Nicolao Primo, & Concilijs Pariſienſi, ac Vermerienſi, alius quidem debet eſſe patrinus Confirmationis à patrino Baptiſmi ex c. in Catechiſmo diſt. 4. Neophyti (inquam) deducentibus patribus luſtricis Dominica in Albis ſiſtebant ſe Pontifici, qui hora tertia imponebat illis manus, & oleo Chriſmatis eorum frontes in modum Crucis

deliniens eos Confirmabat, mox ſacris operabatur, eoſdemque Neophytos Corpore,ac Sãguine Domini paſcebat, Euchariſtiam porrigens, nam Confirmatio præcedebat Communionem, vt Loaiſa docet in Concilia Hiſpañ. & hæc tria Sacramenta ſimul annexa erant, licèt ſæpiùs aliquot diebus interiectis: In Eccleſia quidẽ Vigilare ſoliti erãt Chriſtiani ex præcepto Domini,qui Apoſtolos hortatus eſt ad Vilandũ conſuetus ipſe inſomnes noctes in orationibus, ſeu precibus tranſigere, imò dixit omnibus *Vigilate*, & ideò lumine illis opus erat, præcipuè verò Vigilabant in nocte Paſchale Iudicem Chriſtum in ea venturum expectantes,vti Bonardus adſtruit e Tertulliano in Apologet. & alijs Patribus, tuncque lampadas, & cereos permultos accendebant ad Eccleſias, quæ vt plurimum erant occultæ,atque ſubterraneæ, & obſcuræ illo æuo, illuſtrandas. Baptizabant etenim,& vacabãt officijs,muneribuſquè alijs ſacris, & cereoli Baptizatis dabantur, & Paſchalis cereus Benedicebatur,ceraqũè multa congerebatur ad eos vſus, vnde canone 82. Apoſtolorum iam laudato clericus, vel laicus, qui ſurripuerit ceram, vel oleũ à ſancta Eccleſia, ſeiungitur à conſortio, & can. 81. ſi quis Chriſtianus, oleum tulerit ad ſacra Gentilium, vel Synagogam Iudæorum

feſtis

feſtis ipſorum diebus, aut lychnos accenderit, pellitur e ſocietate. ceram quoque, pro ſacris Gentilium comprehenſam fuiſſe autumo, nam & incerabant illi genua Deorum ſuorum, vt Iuuenalis in Satyra loquitur, vtquè Prudentius.
Incerat lapides fumoſos Idololatrix Religio, affigebant nempe vota e cera vel exarantes, vel efformantes ſimulacrorum genibus, vt exponit Ioſeph. Scaliger, vtquè præfatus ſum pluribus, in Saturnalibus, inque Floralibus eos adhibebant, & in priuatis cultibus. *Aſclepiades Philoſophus Deæ cœleſtis argenteum breue figmentum, quocumque ibat, ſecum ſolitus afferre, ante pedes ſtatuit Apollinis Daphnæi Antiochiæ ſublimes, accenſiſquè cereis ex vſu ceſſit.* auctore Ammiano lib. 22. Hiſtor. Encauſticen tunc viguiſſe non dubium eſt e Plinio lib. 35. c. 11. apud Romanos, celebratquè feſtiuo Diſticho Martialis pictorem Encauſticum, *qui Phaëtonta fecerat dipyron.* picturæ genus eſt, qua ceram adurentes pingunt cauterio, de illa Ouidius, Iuriſconſulti in l. pictoris D. de fundo inſtr. Nebriſſen. in Lexic. Coluius in Nott. ad Sidon. Turneb. l. 24. c. 17. Aduerſar. Vtque legimus in verſione lxx. lib. 2. Machab. c. 2. nec ipſis Hebræis erat ignota; nam quod in vulgata eſt. *ei qui pingere curat*, in iſta ponitur τῷ δὲ ἐγκαίειν, καὶ ζωγραφεῖν ἐπιχειροῦντι. In ipſis Eccle-

ſiæ initijs picturam vſurpatam compertum eſt, ne quid dicam de Imagine Chriſti Edeſſena, deque tabulis pictis à S. Luca; nec eam tantum, quæ plana vocatur, & coloribus in tela, ligno, vel muro expreſſis delineatur, ſed & Anaglypticam, ſeu expreſſarum ſtatuarum, ac ectyporũ, Statua Chriſti in Paneade, atq. Crucifixi Domini effigies Nicodemi arte fabricatæ ſatis id probant: Et verò erant in pariete Templi Salomonis cælaturæ palmarum, picturæque prominentes lib.3.c.6.Regum quin & Cherubim l.2. c.3. Paralipom. nec æneas ſtatuas reijcit Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in epiſt. ad Thomam Claudiopoleos Epiſcopum inſerta ſeptimæ Synodi actione 4. Imò & Encauſtice fuit adhibita, nam tunc e fragmentis, & ſegmentis, atque particulis cerei Paſchalis effingi cœperunt Agni admiſta, quæ ſupererat, cera, & Baptizatis, Chriſmate ſacro delibutis, & ſacroſancta Euchariſtia munitis diſtribui, quod innuunt verſus inciſi periſtylio Baptiſterij Conſtantiniani à Panuinio prolati. *Pura*, vel *vda ſalutiferis imbuit ora cibis*, eranque ſymbola Chriſti, & Chriſtianorum, vt dixi. Vicecomes lib.5. cap.51.de Ritib. Baptiſm. ſigilia iſta cerea, ſacraſque icunculas datas putat fidelibus à Pontifice ipſa die Baptiſmi, ſeu Sabbato ſancto, delataſque octiduo, & Sabbato

in

in Albis depoſitas, vnaquè Albas veſtes; Schultingius Albas veſtes in Baptiſmate, ſeu Sabbato Paſchali acceptas à Baptizatis, in Octaua, ſeu conſequenti Sabbato exutas & poſitas Tomo 3. Biblioth. Eccl. de Octaua Paſchæ notat, ſimulque admonere Vvidmanſtadium in Præfatione Teſtam. Syriac. Romæ antiquiſſimo ritu cereas imagunculas à Baptizatis etiam acceptas, quibus ab impreſſa effigie nomen erat Agni Dei, argumentum cui nitebatur Vicecomes, hinc petebat, quia clamabat ad Pontificem Acolythus Agnos cereos offerens. *modò venerunt ad fontes, &c.* ſed cum ex Ordine Romano certiſſimum ſit Agnos Dominica die, tum Sabbato in Albis fuiſſe diſtributos, Catechumenos verò antea tinctos in Sabbato Paſchali, de ipſis Agnis cereis interim, ac denuò immerſis, & ablutis propriè proclamatio illa eſt intelligenda, de Baptizatis autem metaphoricè, atque cum aliqua mora, nam anteriori Sabbato ab Archidiacono formabantur Agni, vel à Pontifice, atque Cardinalibus ab ipſa die Paſchale ad Sabbatum vſque lauabantur, quamobrem geſtari, deponique non potuere cum veſtibus Albis, qui necdum effecti, lotiquè fuerant; octiduum illud *feſtiuum* vocat *cũ ceſſatione* ſcilicet ab operibus ſeruilibus Concordia Regulæ Anianienſis. Chriſmate

vnctis, & Cōfirmatis à Pontifice traditos Neophytis Agnos cereos, colloquè appenſos Durandus Epiſcopus Mimatenſis acerrimus indagator Cæremoniarum Eccleſiaſticarum lib. 6. c. 8. & 84. prodidit in Rationali Diuinorum Officiorum, quod anno 1286. compilauit, vt ipſe teſtatur lib.8.c.9. obijt autem anno 1296. vt liquet ex eius Epitaphio in S. Mariæ de Minerua Romæ, vbi ſitus eſt. vtque Subdiaconus ſimul offerebat Neophytos, ipſoſquè cereos orbiculos in lance delatos Pontifici, cōcinebatquè. *Pater ſancte, Iſti ſunt Agni nouelli, qui annuntiauerunt vobis Alleluia, modò venerunt ad fontes, repleti ſunt claritate Alleluia.* ad quæ alludit Poeta verſuum Baptiſterij Conſtantiniani. *Alleluia nouis balat ouile choris.* verum Pontifex Chriſmate oblitis, cum veſtes poſuiſſent Albas, ſeu potius Infantibus, quos nudos Baptizarat, veſtitis in Sabbato ſancto, Confirmatiſquè dabat *ſtolam candidã, & Chriſmale, ac decem ſiliquas* ex Ordine Romano, erat *Chriſmale* velum, quo frons inuncta Chriſmate inuoluebatur, e Vicecomite lib.5. c.48. de Bapt. & Menochio par.1. c.9. Tegetum, ſeu Storearum, erant *ſiliquæ* monetæ genus, vel frugum, quibus adoleſcens prodigus veſcebatur cum porcis. E collo pependiſſe Agnos arguit Vicecomes, quia manus cereo impediebatur

batur ne aliam rem comprehendere poſſet, adibant enim Eccleſias per eam Octauam manibus geſtando cereos in Baptiſmate traditos manu quoque deducebant eos adductores; at poſt cõmunionem die Dominica diſtribuebat inprimis Agnos Archidiaconus, cui opes Eccleſiaſticæ creditæ erant, ſacriquè cura commiſſa, & diſpenſatio ærarij, & qui, omnia vt decorè, atque magnificè perageret, Agnos effictos e cera pro monimẽto, & amuleto Chriſtianis dabat in Eccleſia Lateranenſe, dum in alijs Eccleſijs cereus Paſchalis diuideretur, ceræquè croceæ fragmenta darentur, at illa, qua conſtabant Agni, candida erat, & munda, ex Vrbani V. verſibus, & in vaſe mundo miſcitabatur ex Ordine Romano, & abluebatur ſæpiùs, crediderim quamdiu adultos tingere moris fuit, & publicus Baptiſmus perdurauit, Archidiaconum Dominica id præſtitiſſe, at eo Baptiſmo deſueto, & exoleſcente ipſum Pontificem Agnos conflatos, & Benedictos per Hebdomadam Paſchalem, die Sabbati diſtribuiſſe fidelibus, Cõfirmatione ad Pentecoſten dilata propter aduentum Spiritus ſancti, & communione diei Cœnæ Dominicæ, atque Paſchali Feſtiuitati adſignata. Hæc ſunt incunabula, & hic eſt fumus Agnorum Dei, vti loquuntur Iuriſconſulti forenſes, e cera, & e cereis: Sed iacla.

clareſcit e S. Auguſtini Regula in epiſt. 118. iam adducta, ſecundùm quam omnium rituum ſacrorum origo ad Chriſtum, & Apoſtolos referebatur. Lucemquè produnt illarum illuſtriorem Acta S. Agnetis, quæ, ſi S. Ambroſij non ſunt, certè Adhelmo, qui ſeptimo ſæculo floruit, antiquiora exiſtunt, refert ea Bollandus Tom. 1. Sanctuarij, exſtantquè Tom. 2. Operum S. Ambroſij lib. 4. epiſt. 54. Hexametris ea verſibus reddidit Hroſuita Illuſtris Virgo, & Monialis Germana, quæ floruit Othonum Primi, & Secundi Saxonum Auguſtorum æuo, at Elegis, vel Hildebertus Epiſcopus Cenomanenſis, vel Philippus Abbas Bonæ Spei Sancto Bernardo quoque Synchronus; profitebatur illa ſe Chriſtianam, Baptizatam (ſcilicet) Confirmatam, & Euchariſtiam percepiſſe, omneſquè ritus horum trium Sacramentorum myſticis exprimit, & interdum proprijs verbis. *Mel, & lac* (aiebat) *ex eius* (id eſt Chriſti) *ore ſuſcepi*. Libationem mellis, & lactis indicans, ſeu prægustationem vſitatam Catechumenis, de qua ſuperiùs, & in Actis S. Suſannæ, in quibus Caius Pontifex, cum eam ſacro tinxiſſet Baptiſmo, & cõfirmaſſet *Alexandrum, Cutiam, & Prædedignam, obtulit pro illis ſacrificium in eadem domo, & cõſecrauit Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & lac, & mel, & fontem,*

tem, participauitquè cum omnibus myſterium Dei, vt refert P. Menochius par.4. c.79. Tegetum; *induiſſe* Sancta Virgo ſe gloriabatur *Cycladem auro textam*, id eſt Albã c.3. ad Galatas ἔνδυμα χριςῦ dicitur; *annulo fidei ſubarrhatam*, id eſt Baptiſmi aquis ablutam, quem annulum Tertullianus lib. de pudicitia compellat. *Signaculum lauacri*, S. Paulus explanat ſcribens, *Chriſtum nos ſignaſſe, atque arrhabonem dediſſe ſpiritus noſtris in cordibus, ſeu pignus*, in 2. ad Corinth. c.1. *in quo credentes ſignati ſumus ſpiritu promiſſionis, qui eſt arrhabon hereditatis noſtræ*, vti repetit c.1. ad Epheſ. characterem Baptiſmi animæ impreſſum cũ infuſione gratiæ denotans, aqua eleuata per potentiam obedentialem. Deſcribit iſta Periphraſe Confirmationem. *Poſuit ſignum in faciem meam, vt nullum alium amatorem admittam*, innuens tam duplex ſignum viſibile Crucis, quod indiderat Pontifex eam vngens in fronte Chriſmate, quã inuiſibile ſignaculum fortitudinis, & conſtantiæ à Spiritu ſancto animæ inſculptum, quæ Prudentius inſinuat canens de populo Romano: *Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes, Vnde ſacrum referat Regali Chriſmate ſignũ.* hæc ſigna Ezechielis in prophetia ſignificauit Angelus c.9. *Seu vir talare veſte linea indutus, ſeu ad pedes vſque demiſſa iuſſus à Deo tranſire*

per

per mediam Ciuitatem Hieruſalem , & ſignum imprimere in frontibus virorum lugentium,quod nonnulli Thau vltimum Hebræorum elementum cenſent quaſi Tham id eſt perfectum, ſeu Thora, id eſt legem, ſiue Trichie id eſt viuas, imò vti SS. Ambroſio , & Auguſtino, ac Alexandrino Clementi, & Tertulliano,atque Sancto Hieronymo viſum, Crucem . e Menochio par.5. c.69. Huius rei Antiquarius præſtantiſſimus æneum exhibuit quondam mihi monimentum, in quo viſebatur imago ſenis cum atramentaria theca,& penna ſignantis frontes iuuenum,& cui erant inſcripti verſus iſti Leonini. *Thau Crucis eſt ſignum, ſed magno nomine dignum, nam premit interitum, quod Crucis eſt meritum*. Sic apud S. Ioannem in Apocalypſe c.7. Angelus ſignat prædeſtinatos in frontibus eorum. Interpretes vetuſti obſeruant ſigna viſibilia dici à Græcis σημεῖα. & ſignacula inuiſibilia σφραγῖδας In Confirmatione vtrumque ſignum ſcilicet, atque ſignaculum infigitur, nam & imprimitur inuiſibilis character animæ, ſigillum ſcilicet gratiæ dono Spiritus ſancti, & tam manu in Crucem conformata , quam Chriſmatis liquore Crucis effecta forma frons ſignatur, vnde ſuperdicit Epiſcopus, *Signo Te ſigno Crucis, & Confirmo Te Chriſmate ſalutis*, quin dum reconciliantur Apoſtatæ, Schiſ-

Schiſmatici, vel Hæretici ad Eccleſiam reuertentes,ſignantur in fronte ab Epiſcopo Crucis ſigno, & ille dicit: *Accipe ſignum Crucis Chriſti, atque Chriſtianitatis, quod prius acceptum non cuſtodiuiſti, &c.* Etſi verò de Confirmatione hæc intelligant tam Gallonius in Vita Sanctæ Agnetis edita Italicè,quam alij viri docti.quid vetat alludi, & ad ſignum aliud viſibile cõfirmatis, & Euchariſtia paſtis tribui, & aſſignari ſolitum? nam Crucis ſigna tam manu, quam oleo indita tranſeuntia erant,ſed Agni effigies e collo pendula perſtabat, inque ſinu, & conſpectu poſita, & Chriſtianum aſſiduè admonẽs *in faciem*, aut in facie, εἰς τὸ πρόσωπον, vt in Pſalm.83.& inſtar Encolpij à S.Gregorio Magno miſſi ad Eulogium, ſeu *Benedictionis, quæ oculis ipſius ſupponeretur*, vel ἐνώπιον, vt Pſalm. 105. id eſt coram. adi Heſychium, & Iliad. ξ', & Etymologicon Orionis, quod Illuſtriſſimus Ioannes la Farina publico bono in lucem profert, defæcatum, & exornatum. Sic enim Græcè phraſis iſta concepta foret, ſi Acta iſta Græcè reddita exſtarent, verùm in Menæis conciſa ſunt admodum, & quaſi redacta in Epitomen,& ita intexuit Operi ſuo Bollandus Latina cum verſione. In Actis S. Martyris Euſtachij apud Lipomanum, & Surium die 2. Nouembris cum Ioannes ſacerdos (vt narrat

Simeon Metaphraſtes) ipſum Euſtachium, & familiam Baptizaſſet,& Chriſti Corpore,ac Sãguine pauiſſet, Dominus Euſtachio dixit: Inter alia, *accepiſti arrham incorruptionis,& ſignatus fuiſti,vt ſis ouis mei gregis.* Compungebantur notis ſerui, vt innoteſcerent heri,ad quos pertinebant, & ab his vindicari poſſent, hinc à Romanis inſcripti vocitabantur, & litterati, à Græcis στιγματίαι; memorat Herodotus Templum Herculis, ad quod ſi qui confugerent ſerui,ſeque Deo tradentes τὰ ἱερὰ στίγματα ſacras notas ſuſciperent, nefas erat eos tangere. S. Paulus ſcribit ſe Domini Ieſu ſtigmata in ſuo corpore portare, S. Franciſcus reapſe circumtulit; ita Sancta vociferabatur Agnes ſe notis,& ſignis Chriſti in faciem ſuam exceptis Chriſtum ſolum Dominum agnoſcere, & illi vni aſſerendam, maculas, & ſordes corruptorum auerſari. Phraſis itidem in faciem meam pro in facie mea in Biblijs vſitata eſt,& facies pro ſinu ſumitur,Machabæor.1.c.14.& Matth. c.14.Pſalm.30. & 41.quodque in vberibus eſt, ante, coram, ad facies, & in facie dicitur. Leuitic. c.27. Numer. c.4. Ezech. c.25.& Geneſ. c.17. Sic S. Agnes geſtabat Chriſti ſignum antè pectus, continuum ſponſi ſui Mnemoſynon, vt eo viſo memoriam ipſius haberet perpetuam. Agnum nimirum cereum, præueni-

retquè aliorum amatorum blanditias, & certiores eos ficeret, ab alio ſe præuentam amatore, vti ſponſa Cantic.8. cupiebat poni ſuper brachium, & cor ſponſi quaſi ſignaculum, quò in omnibus affectibus, & cogitationibus, quarum initium, & fons eſt cor, inquè omnibus operationibus, quarum principium eſt brachium, meminiſſet ipſius ſponſus, ita ipſa recordari ſe ſponſi demonſtraret, dilectum ſuum locans tamquã myrrhæ faſciculum inter vbera. Demum Euchariſtiam à ſe ſuſceptam profert, dum inſonat: *Iam corpus eius corpori meo ſociatum eſt, & ſanguis eius ornauit genas meas* euaſerat enim *Chriſti* σύσσωμος, & σύναιμος concorporea, & cõſanguinea, vti S. Ioannes Chryſoſtomus eloquitur: Et ſi hæc necdum ſatisfaciunt, quia ſubiungit: *Dexteram meam, & collum cinxit lapidibus pretioſis, tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas, circumdedit me vernantibus, atque coruſcantibus gemmis*, quantumuis iſta Maximus Taurinenſis de ornamẽtis animi exponat, vel ſimilia penes Ezechielem c.16. propriè tamen deſignant munuſcula varia, quibus Baptizati, & Chriſmate, ac Euchariſtia donati cumulabantur, Annulos, qui digitis inſerebantur cum Chriſtianitatis ſymbolis, Agnos cereos e collo appenſos, ex auribus inaures, vel ἐνώβια inſignia fidei, quæ eſt

ex

ex auditu, & fidelitatis. Tertullianus quidem c. 10. de cult. fœminar. ſcrupuloſa vulnera, quæ inferuntur auribus, non probat, nec Achillem aurem quoque foratu effœminatum, quod illi apud Sigæum ſtatua ſeruat cap.4.de pallio, tamen c. 15. Deuteron. Serui, aut ancillæ diligentis Dominum, nec ab eo diſcedere præoptantis iubetur auris ſubula forari in ianua, & Exodi c.22. inaures erant ornamenta muliebria, pro Rebecca Geneſ. c.24. rurſus Exodi c.32. & 35. & Iudic. c. 8. Iob reſtituto cognati, & amici dederunt gratulantes ſinguli ouem vnam, & inaurem vnam auream cap.40. adde Iudith c.10. Oſee 2. Iſaiæ 3. atque Prouerb.25. In calce Liturgicorum e m. s. Codice Anglicano ex Inſtituto S. Gregorij Magni Troparium aſſutum exſtat ad recèns Baptizatos in Paſcha, vel Pentecoſte, inque illo inter alia *Donatum vobis* (dicebatur) *ſignum à Saluatore dignum, qui pependit in Cruce, & tradidit Baptiſmum*, quibus verbis munus, ſeu donum Agni cerei adumbratur, quod Pontifex elargiebatur Chriſtianis Baptiſmo, Confirmatione, ac Euchariſtia præmunitis, & omni ex parte perfectis tamquam ſignum expreſſum, concludebatur inibi. *Hic eſt fons beatus, qui protegit albatos, dignos immaculatos, & balſamo Chriſmatos*. Acta S. Agnetis cum Actis S. Euſtachij,

ſtachij, & S. Suſannæ, cumquè Prudentij verſibus, & Tropario ſupraſcripto collata, & perpenſa efficiunt vt ſignorum, ſiue Agnorum cereorum fulgor, qui e Canonibus Apoſtolicis innotuerat, eluceſcat, quibus adnecti poteſt, & ars mira, qua Euphraſia Virgo Nicomedienſis procaciam laſciuientis iuuenis eluſit, dum ſe finxit Magam,& cera circumlitum collum obtruncandum obtulit incauto amatori,qui contaminare ipſam inhians pudicitiæ inſidiabatur, e Nicephoro Calliſti lib.7. c.16. Hiſt.Eccleſ. ſub Diocletiano ad annum Chriſti 309. vt putat Cardinalis Baronius in Annall. & ad Martyrol. 13. Martij. Ab exordio naſcentis Eccleſiæ ritum Agnorum cereorum vſurpatum Canones Apoſtolici laudati demõſtrant in primo ſæculo, Euſtachij Acta in ſecundo, paſſus eſt enim generoſus ille dux ſub Hadriano Aug. ad annum plus minùs 120. Chriſti, & in illis dicitur à Domino. *Signatus vt ſit ouis*, Suſannæ in Actis *fons conſecratur* vtique cum cereo, & *myſterium Dei cum omnibus* participatur, ſeu e cera ſigillum myſticum ad annum 294. ſeu tertio ſæculo, anteà ſub Decio,& Valeriano ad annum 254.& 255. ex Actis S. Laurentij apud Prudentium iam prolatum adſtabant in ſacris Chriſtianorum *fixi cerei*, S. Agnes ſub Symphronio, ſeu Sem-

pronio Præfecto Vrbis martyrium fecit ad annum 304. hoc eſt in quarto ſæculo circiter, & *ſignum in facie, ſeu ſinu* accepit, *collumquè ſuum lapidibus pretioſis* iactat *cinctum*, cereis nempe icunculis, Eufraſia *ceræ circumlitum collum* reſecandum porrexit ad annum 309. Agno cereo circumſeptum. Prudentius à Populo Romano *ſacrum ſignum* referri *Regali Chriſmate* canit ex Aede Lateranenſe, Theodoſij æuo, & Codex Anglicanus *diſertè ſignum illud* exprimit. Ita in quatuor primis Eccleſiæ ſæculis Agnorum cerea ſigna comperiuntur. Aperiebat Agnus (vt in Apocalypſe ſcribit fidiſſimus eius, & cariſſimus Amanuenſis S. Ioannes c. 6.) Libri ſigilla ſeptem, id eſt Sacramenta, ſacroſquè ritus adoleſcere in Cryptarum tenebris, & latebris volebat, & inter illos iſtum Agnorum e cera; legimus etiam S. Agnetem parentibus ad eius ſepulcrum aſſiduè vigilantibus quadam nocte Virginum choro comitatam apparuiſſe, atque ad ipſius dexteram Agnum niue candidiorem ſtantem, qui Chriſtũ ſignificaret, & quicum in cœlo ſe viuere proloquuta eſt in Martyr. Rom. 28. Ianuarij, vt ſignificauit Agnus, qui S. Clementi Papæ, & Martyri viſus in ſolitudine Vrbis Cherſonæ, ſeu prope Cherſonam Vrbem Cherſoneſi, vbi Martinus quoque Papa I. etiam martyr exulauit (bis

enim

enim Pontificiam maieſtatem Regio illa excipere meruit) Agnus (inquam) dextro pede attingens fontem aquæ dulcis, & ſicut Agnus, de cuius, & Dei ſede fluuius aquæ vitæ ſplendidus tamquam cryſtallus procedebat c. 22. Apocalypſ. quæ verba de Spiritu ſancto procedente à Patre, Filioq. Latini aduersùs Græcos interpretabantur Carolo M. imperante, ſi qua fides Faucheto in Annall. Francorum. Hiſce quatuor ſæculis in illo æſtu Diabolici furoris, & quaſi Chao inſultuum Infernorum contrà Eccleſiam decem in perſequutionibus perierunt plurima; ſuperſunt tamen reliqua, velut e naufragio tabulæ, quibus aſſequamur initia vetuſtiorum rituum, nonnulla monumenta. Inter Lupos, qui Agnos hoſce cereos dilaniare gaudent: Deus Opt. Max. prouidit, & effecit vt vnus non ſæuiret Munſterus, quin Religioſum hunc morem aſſeruit, dum inter reculas inuentas Romæ in ſepulcro Mariæ filiæ Stiliconis e Serena filia fratris Theodoſij Augusti, & quæ Imperatoris Honorij coniux fuit, recenſet non ſolum laminulam auream cum hiſce verbis Græcè ſcriptis *Michael, Gabriel, Raphael, Vriel,* verùm & Agnum Dei, ſeu Bullam gemmis diſtinctam retinentem haſce litteras. MARIA *NRA NOSTRA* FLORENTISSIMA, quod e Surio, & Fauno pro-

batum fuit. Mariam iſtam certum eſt Honorio Auguſto coniunctam fuiſſe fœdere nuptiarum, qui annum ætatis decimumquartum inchoarat Menſe Septembri, anno Chriſti 398. vt auctor eſt Card. Baronius e Claudiano. de illa intelligens S. Ioannem Chryſoſtomum in epiſt. ad vid. iun. dum ſcribit ex vxoribus eorum, qui tunc regnabant, alteram ex priſtinis calamitatibus reſpirantem magnæ voluptati magnum habere dolorem admiſtum, eo quod qui potitur, nimis iuuenis, & nullius vſus eſt, multoſquè habet vndique inſidiantes. Eam verò donatam Agno cereo à Pontifice, vti ſigno Chriſtianitatis,& teſſera poſt Baptiſmum, Confirmationem,ac Euchariſtiam hinc liquet, qui Agnus cum ipſa fuerit conſepultus. certè Virgo defuncta eſt, ſicut & ipſius ſoror Thermuntia, ſeu Thermantia, quam Honorius ſuperduxit e Marcellino Comite in Chronico. Quo modo Reliquiæ Sanctorum demortuis Epiſcopis contumulantur ex antiquo more, Cruces quoque fidelibus inhumatis fuerunt inditæ, ne Dæmones eorum cadaueribus illuderent,& A cum Ω. adiungebantur Chriſtum denotantes litteræ, quod obſeruarũt Ambroſ. Morales lib.11. c.41. Maluenda de Antichriſto lib.8. c.18. Maldonat. in c.8.& 28. S.Matthæi,Robert.in Gall. Chriſtian. p.81.Epiſcop.

Lin-

Lingoñ. particulas itidem Sacroſanctæ Euchariſtiæ nonnulli recondebant vnà cum defunctis intra ſepulcra, idque Canone Trullano 83. in Synodo Quina ſexta vetitum fuit, vbi de non danda mortuis Euchariſtia Balſamon, & Zonaras in Nomocan. Albaſpineus Epiſcopus Aurelianẽſis lib. 1. obſeru. ſacr. c. 9. & Roſvveydus in Vitam S. Baſilij inter Vitas Patrum. In ſexto ſæculo ſedentibus Zoſimo anno 417. & Gelaſio anno 492. Agnorum cereorum vſum in Eccleſia Romana viguiſſe iam cõſtitit, quin & ſub Gregorio M. anno 592. in ſæculo ſexto, inque ſeptimo, & ſub Theodoro Primo anno 640. ſub Leone III. anno 795. in octauo, ſub Ludouico Pio Auguſto anno 830. in nono, (decimum, & vndecimum obſcurarunt inertia Scriptorum, & bellorum, calamitatumquè acerui) deinceps annis 1140. 1192. 1203. 1286. 1326. 1336. 1342. 1361. in ſæculis duodecimo, decimotertio, decimoquarto; in decimoquinto, & decimoſexto, ac decimoſeptimo ita clarum eſt, vt teſtibus non egeat. Sic Eccleſia in poſſeſſione continua eſt huius ritus per ſingula ſæcula in ea vſurpati. Et quamuis in ſæpedicta Synodo Quina ſexta Græci prohibuerint Chriſtum Dominum Agni ſpecie depingi, & videantur perſtringere ritum iſtum Romanæ Eccleſiæ can. 82. & apud Gra-

tianum c. ſexta diſt.3. de Conſecr. ſicuti Sabbati ieiunium, quod Romæ ſeruabatur, vel e S. Ambroſio in Quadrageſima conuellere viſi erant can. 55. & continentiam, vnde vocatur Erratica Synodus, fuitquè reprobata iamdudū, exiſtimat tamē R.P. Raynaudus id nec ab ipſis factum ſimpliciter, nec in perpetuum, ſed prætuliſſe illos Chriſti effigiem ſub humana forma, vt temperarent vſum tunc frequentiſſimū, & quaſi perpetem exprimendi Chriſtum Agni ſimilitudine. Adnotat ſimile quid Gretſerus Agnis cereis, eadem nimirū conſtans materia, diſtribuiſſe Patriarchas Conſtantinopolitanos lib.2. c.34. de Benediction. qui ſuæ xl. initio Thymiamata populo vtique ad ſuffitum dilargiebantur, die autem Palmarum Cruces, atque cereos, tertia poſt die iterum Thymiamata; tandem in Feſto Paſchæ numiſmata, quaſi Presbyterium, docuerat id Balſamon Tom.1. Iur. Græco-Rom. in propria Melete, ſeu Meditatione de hoc argumento ſatis infeliciter vocem Βαιῶν exponens. dabantur (inquit) loco Rogarum, atque vice Baiorum incenſa, ſeu thura in die Catecheſis, & magna feria quarta cerei cum incenſis, & denique cū Crucibus cerei quoque Dominica, qua Baia, ſeu rami geſtantur, aureos etiam Numos Clericis admetiūtur Patriarchæ die Paſchatis. Verum

rum de hiſce fusè, cum de Roſa aurea libro ſingulari diſſertabo. Moris quidem eſt in Occidente viris Principibus aduenientibus, & cũ pompa ſolemne ingredientibus Ciuitates offerri à Ciuibus cereos, ſeu ſcolaces e niuea, & candidiore cera cum Bellarijs.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

PLura, qui nequiret Iacobum Sirmondum conſulat in Notis ad Ennodium, Coſtanum lib. 4. Inſtitut. Chriſtian. vbi Agnorum Dei virtutes enumerat, & Andreæ Fruſij carmen inſerit, vti Raynaudus, Caſalium virum pium, mihiquè peramicum Romanum Patricium patriarum Antiquitatum Scriptorem diligentiſſimum lib. de Vet. Eccl. Ritib. c. 5. & 38. Spondanum Epiſcopum Apamienſem alterum Hiſtoriæ ſacræ lumen in Epitome Baronianorum Annalium, Azorium Tom. 1. Inſtitut. Moral. l. 9. c. 9. quæſt. 2. & 4. Sanchez l. 2. c. 43. Oper. Moral. Auctorem Antiquit. Liturgic. Tom. 2. Gretſerum de Benediction. lib. 2. c. 34. Silu. Petraſanctam indefeſſum Eccleſiæ pugilem Tom. 5. Thauma c. 15. Decus inſigne Aueniouis Lorinum in Act. Apoſtol. Tomo 1. in c. 8. verſic. 32. vbi laudat Theodorũ Studiten, qui epiſt. quadam (ea eſt 8. lib. 2.

in Cod. Columnn.) apud Baronium Tom.9. ad annum 814. hæc recitat S. Ioannis Chryſoſtomi verba: *Ego ex cera fuſam amo picturam pietatis ergo factam*, rationem quoque dat idem Theodorus ex eodem Chryſoſtomo in ſerm. de vno Legislatore. *Vidi enim Angelum in imagine Barbarorum copias in fugam vertentem, vidi protritas Barbaras gentes, & Dauidem*, ſed poſt ſubdit canonem Patrum ſextæ, ſeu Quinæ ſextæ Synodi. *In quibuſdam Sanctarum imaginum picturis Agnus exprimitur, refert enim nobis Agnus hic verum Agnum, quem lex ſignificat, quem Præcurſor digito demonſtrat.* Hinc argui tantum poteſt picturam e cera S. Ioanni Chryſoſtomo haud fuiſſe ignotam, atque approbatur ſub Honorio Aug. viguiſſe, Romani ciues nobiles in atrijs diſponebant ab antiquis vſque temporibus effictos e cera maiorum vultus, vel e Satyrographo. *Tota licet veteres exornent vndique ceræ Atria, nobilitas vera eſt, atque vnica virtus.* adi Iun. lib.3. de pictur. vet. S. Carolus Borromæus Cardinalium ſacri Collegij iubar immortale maximi eos faciebat, vt in Concilijs Mediolanenſibus videre licet, in honore habuit, & S. Ignatius Societatis Ieſu auctor e Ribadeneira in eius Vita, & Pius Quintus Pont. Max. à quo benedicti Agni sũt in opinione mirabiliterque à cunctis æſtimantur

tur teſte Caraccia in illius Vita, & laudatus Salmeron in litteris datis Neapoli 9. Iunij anno 1566. ad eumdem Cardinalem Carafam reſcribens Italico idiomate; gratiaſquè agens de miſſis Agnis Dei, luculenter id atteſtatur. Pius ipſe V. victoriæ ſpem faciens militibus cū Turcica claſſe ad Echinadas inſulas pugnaturis cereos Agnos quaſi ſacra pignora diuiſit, ea verò præclariſſima conſequuta eſt, vt Petraſancta memorat lib.1. Thaumaſ. c.40. mittebat & Sixtus V. Agnos Dei Principibus cum Diplomatis, ſeu Breuibus Pontificijs, vti Bonardus tradit, nec ita pridem Excellentiſſimus Præneſtes Princeps Thaddęus Barberinus Vrbis Præfectus inter alia ſacra dona ingentis pretij, quibus Sereniſſimam Mariam Auſtriacam Reginam Hungariæ, & Bohemiæ, deinde Imperatricem, muneratus eſt, Anconæ, cū ad eam Vrbani VIII. Pōtificis patrui ſui glorioſiſſimæ memoriæ nomine ſalutandam, & excipiendam miſſus fuiſſet, vt olim anno 1193. Otho Illuſtriſſimus Vrbis Præfectus ad Conſtantiam Imperatricem. e Godefrido in Annalibus, Agnum Dei cereum à Pio V. ſanctiſſimo Pontifice Benedictum obtulit cum Breui, quo Vrbanus Reginæ ipſi, dum Agnum illum geſtaret, Indulgentias elargiebatur. En aliquam illius partem. Dilecto filio Nobili viro

Thad-

Thaddæo Barberino noſtro ſecundum carnẽ ex fratre nepoti Vrbanus Papa VIII. Dilecte fili nobilis vir ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Quæ ſit paterna noſtra erga chariſſimam in Chriſto filiam noſtrã MARIAM Hungariæ, & Bohemiæ Reginam Illuſtrem charitas, & dilectio, ex hoc, vel maximè ab omnibus cognoſci poſſe arbitramur, quod nullam occaſionem paterna ſtudia, & officia noſtra eidem exhibendi, quantum cum Domino poſſumus, præterlabi nullo modo patiamur. Cum itaque ſicut ex inſinuatione à Nobilitate Tua nobis facta accepimus, Nobilitas Tua quemdam Agnum Dei cereum à felic. recordat. Pio Papa Quinto prædeceſſore noſtro Benedictum, & quamdam imaginem ab vtraque parte depictam Adæ ſcilicet, & Euæ in Paradiſo terreſtri, ac tranſitus Moyſis, & filiorũ Iſrael in medio mari per ſiccum, necnon duo ſacris Sanctorum, & Sanctarum Reliquijs decorata Reliquiaria eidem Reginæ Mariæ donare intendat. Nos ſpirituali eiuſdem Mariæ Reginæ conſolationi, & animæ ſaluti per amplius conſultum eſſe cupientes, eidem Mariæ vt quamdiu Agnum Dei, ſiue imaginem, aut vnum ex Reliquiarijs huiuſmodi apud ſe habuerit, quotieſcumque Officium Diuinum Ordinarium, aut Beatiſſimæ Virginis Mariæ, vel De-

Defunctorum, aut ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, ſeu Graduales, vel Coronam Domini, aut tertiam partem Roſarij recitauerit, aut infirmos alicuius Hoſpitalis viſitauerit, vel pauperibus Chriſti ſubuenerit, quoties aliquod præſtiterit ex operibus huiuſmodi, ac verè pœnitẽs, & confeſſa Sacerdoti ab Ordinario approbato in aliquo ex Dominicis, aut Feſtis diebus de præcepto ſacram Communionem ſumpſerit, piaſquè ad Deum preces fuderit pro Hæreſeum, & Schiſmatum exſtirpatione, pro Fidei Catholicæ propagatione, Chriſtianorũ Principum concordia, alijſquè Sanctæ matris Eccleſiæ neceſſitatibus, ſemel in Hebdomada omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam conſequatur, & deinceps alias Indulgentias condonans. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die iv. Ianuarij M DC-XXX. Pontificatus noſtri anno octauo. M.A. Maraldus. In opere ſuo R. P. Raynaudus indicat Interdicta Pontificia ne pingantur Agni Dei cerei, nec inaurentur, ſeu ſuperfundantur auro, emanaſſe, quia id viſum indecorum Sancto Carolo Mediolanenſi Concilio quinto, tit. de Sacramentalibus, neu candor lædatur, ac violetur, vetitum quoque fuit illos diuendi, aut in annulis, qui digitis inſeruntur, condi, iuxtà Pythagoricum præceptum, vtque vitetur

tur illorum contemptus, ſicut imaginis Tiberianæ, de qua Suetonius c.58. Tiberij. Sanchez lib.1. in Decalog. c.41. & lib.2. c.43. Valentia in ſecundam ſecundæ diſt. 6. p. 2. Azor locis laudatis, Scortia Theoremat.33. Suarez lib. de Simon. c.14. Diana 3. part. art.6. Reſolut. 12. & Facundez ad 2. Eccleſ. prec. lib.1. c.4. n.25. Illuſtriſſimus D. Ioannes Baptiſta Scanarola Sidonienſis Epiſcopus, de cuius pietate, atque doctrina, cæteriſquè virtutibus quidquid dixero minus erit, agit doctiſſimè de prohibita venditione Agnorum Dei, poſteaquam fuere Benedicti, neue minio illinantur, alijſuè coloribus, dequè illorum furtis lib.1. de Viſitat. Carcer. c.2. §.13. e Ricciullo c.9. in Eccleſiaſt. Bonacina Quæſt.1. de Simon. & Valentia Tom.6. quæſt.17. Varia dubia proponit, & ſoluit idem Raynaudus de Agnorum iſtorum incenſione, immerſione, circumueſtitione, contrectatione per laicos, in ſtabulis appenſione, inque Brutis, falſatione, ac ementitione, ſuperſtitionibus, dequè peccatis admiſſis inter eos geſtãdum, concludens Opus ſuũ Tropologia egregia de illis religiosè deferendis, quemadmodum anteà refellit animosè Sectariorum, quorum ſignifer fuit conſarcinator libri, qui Apiarium Eccleſiæ Romanæ inſcribitur, calumnias aduersùs hæc pietatis monimenta, dinumerat

etiam

etiam aliquot miracula patrata Diuinitus Agnorum virtute, quæ nunc nec eſt animus delibare, ſed, quando nanciſcar optatum otiũ, in Encauſtice ſacra, quam meditor, ſingula perſequar, & vberius retractabo. Plura Gretſerus, Lorichius, & Laurentius Beyerlink in verb. Amuletum in Theatro Magno Vitæ Humanæ, quod Lugduni prodijt hoc anno. profert ille Petrum Matthæi in ſeptimum Decretalium, Petrum Gomez Vicepriorem Indiæ rer. in Iapon. geſtar. anno 1597. Lud. Foez in Relat. rer. geſt. à Soc. Ieſu in Collegio Arimenſi anno 1565. & litteras annuas eiuſdem Societ. anno 1584. in Prouincia Mediolanen. fusè de illis tractat narrans militem Agno munitum, quantumuis ſcloporum, ſeu bombardarum appeteretur ictibus, euaſiſſe illæſum; Zacharias Bouerius in Annall. Capuccin. ſimilia refert de Agno, qui macrocollone contectus à viro nobili gerebatur, B. Gomeſius Miedes Archidiaconus Saguntinus, & Canonicus Valentinus in epiſt. ad Gregorium XIII. edita Valentiæ anno 1576. de arcula, in qua cerei Agnino inſigni impreſſi, & conſecrati ſeruati, cum alijs pijs rebus, in mare deiecta haud procul Barcinone, ſaluaque, ac integra prouecta Valentiam vſque mirabilitèr poſt 30. diem. Aſſerunt & illos Agnos inundationem flumi-

num

num repreſſiſſe, extinxiſſe incendia, iuuiſſe prægnantes ad partus feliciter edendos. Pontifex equidem cum illis Benedicit, precari Deũ ſolet, vt virtutem accipiant hæ cereæ formæ ſanctificatæ, ne vlla peſtilens aura, nec aëris corruptio, nullusquè morbus deuotè illas ferentibus dominetur, tradit Gretſerus liberatũ quemdam à Dæmonis incurſu, & malignitate. Vrbanus V. cecinit: *fulgura deſurſum depellit, & omne malignum*, idcircò Innocentius III. pinnis turris Comitum Agnum cereum impoſuerat, Sixtus verò V. includi Agnos aliquot huiuſcemodi iuſſerat Cruci, quam prefixit acumini, ſeu ſummo faſtigio Vaticani Obeliſci, ab Epiſcopo Ferratino die 26. Septembris anni 1581. quo fuit erectus Obeliſcus. Amuleta, & Alexipharmaca à malis amoliendis, & à venenis procul arcendis indigitat, in Latio ſuo Chriſtiano Franc. Scorſius. Deum orat Pontifex prætereà vt, qui eos geſtarint, liberentur ab omni tempeſtate maris, & terræ, à fulmine, grandine, morbo comitiali, morte improuiſa, igne, inſidijs inimicorum, & præſertim à noxijs ventis, pluuia, terræmotu, tonitru, & peſte, vt refert Gretſer. l.2. c.34. de Benedict. Quod ſi Pelagio I. Papa ſedente, ac Iuſtiniano Aug. Imperante ad annum Chriſti 542. ſeu 544. cum toto graſſaretur orbe cru-

delif-

deliſſima peſtis, & pertinaciſſima, quam Thucydidianæ, ſeu Lucretianæ ſimilem ex parte, deſcribunt Procopius lib. 1. de Bell. Perſic. Euagrius lib.4. cap.28. Eccleſ. Hiſtor. Paulus Diac. lib.2. c.4. de Geſt. Longobard. Hiſtor. Miſcell. Conſtantinopoli ſedata fuit, inſtituta, & habita ſolemne ſupplicatione, in qua proceſſerunt ciues, qui ſacratos deferebant, accenſoſquè cereos ad celebrandam feſtiuitatem occurſus, ſiue ὑπαπάντης Chriſti, Mariæquè Virginis matris, & Symeonis e Nicephor. l.17. c.18. Cedreno in Compend. Sigeberto, Siffridoquè in Chronic. Ruperto l. 4. c. 25. de Diuin. Offic. quæ ſecunda Februarij die adhuc peragitur, & à Græcis ἑορτὴ φώτων, à Latinis S. Maria Candelarum nuncupatur Ptolemæo Lucenſi in Annall. & Frontoni Ducæo in Pleſſæor. Error. Inuentar. atque Alb. Pighio in Hercule Prodico. quamuis Card. Baronius in Martyrol. ea die feſtiuitatem illam in Occidente antiquiorem fuiſſe, inductamquè à Gelaſio I. Pontifice ad Lupercalia tollenda contendat, tum à Sergio I. Litanias ordinatas cum cereis e Beda. Quidni virtute cereorum Agnorum contagio, quæ! proh dolor in hac Vrbe nunc ſæuit, exſtinguetur? Si cum fiducia ergà Deum, cumquè illa, qua decet, puritate animi, ac integritate vitæ geſtentur.

Pro-

Proſpexiſſe videtur, ac præparaſſe Deus opportuna remedia calamitati auertendæ,quam noſtra flagitia prouocant extorquentia ipſius e manu iuſtam vindictam. dum eam mentem immiſit Sanctiſſimo D. N. Alexandro VII. Pontifici, qui vt Maximus ita Optimus Paſtor in gregis ſui vulnere magis vulneratur, ſicut S. Cyprianus loquitur lib. de Lapſis, vt Agnorum Dei copiam ingentem hoc anno Pontificatus ſui die Natali recurrente tam piè, tamq. religiosè conſecraret. De Agnorum Dei virtutibus ſcripſit Stephanus Nicolini libellum Italicè, in quo meminit eorum Benedictionis, & diſtributionis à Paulo III. die 16. Aprilis Sabbato in Albis anno 1547. & à Iulio III. die 12. Aprilis eodem Sabbato anno 1550. & ſubijcit. ad Chriſtum, qui verus eſt Agnus, Carmen incipiens: *Salue noſtra ſalus, Agnus mitiſſime ſalue*, tum ad Henricum II. Francorum Regem Chriſtianiſſimum directos verſus Iani Vitalis Panormitani, quibus initium *Candida cera Dei*, at Epilogus,qui à Panuinio fuit omiſſus, in hæc verba exſtat: *Hinc ad Te mittit ſacratos Iulius Agnos. Henrice Regum maxime,vt Tibi ſuccedant votis optata ſecundis, O Principum clariſſime*. Contexuit & de Agnorum Dei virtutibus Libellum Italicè quoque Superantius Braceſchi ad Blancam Amedeam matrem

anno

anno 1545. inſcriptum: *Fior di Virtù Hiſtoriato*, qui me penes aſſeruatur exaratus calamo. Dicitur & Tractatum conſuiſſe de Benedictione, ac virtutibus Agnorum Dei Alphonſus Ciccarellus de Meuania, & inſcripſiſſe Gulielmo Sirleto patricio Stilenſi, & S.R.E. Cardinali Romæ 5. Aprilis 1579. qui graphicè deſcriptus, minioquè varijs in locis diſtinctus manu, vt creditur, auctoris erat (vti teſtantur Leo Allatius vir eruditiſſimus in ſuis Animaduerſ. ad fragmenta Etruſc. Antiqq. & Ciccarelli, & Labbæus in noua Biblioth. m. ss.) Romæ in Bibliothecis Altaempſiana, & Aniciana, vbi reperiri necdum potuit, & in Naudæana, quæ hic nulla eſt. Sed Ciccarellus ille falſitatibus, & nece infamis operi ſuo fidem detrahit, vt tanti ſit illud celari; maximam verò conciliat auctoritatē pietas, eloquentia, & dignitas Eminentiſs. S.R.E. Card. Auguſtini Valerij Veronenſis Epiſcopi & Patricij Veneti, eximiæ lucubrationi, quam de Agnorum Dei Benedictione à Gregorio XIV. Sūmo Pontifice anno 1591. Pontificatus primo, peracta concinnauit. Illam ab Illuſtri, & pereruditio viro Ioanne Baptiſta Maro Canonico S. Angeli comiter acceptam pro Coronide libens ſubnecto, ne hoc etiam Herois de Sancta Eccleſia tam benemeriti excidat monumētum.

tum. E re verò Chriſtiana foret tanti viri Opera ſparſa colligere, quò ſimul in lucem proferrentur, quandoquidem illa non mediocrem vtilitatem, ſplendoremquè allatura confido Reipublicæ Chriſtianæ, cui Sereniſſimus eiuſdem Cardinalis agnatus, & potentiſſimæ Reipublicæ Venetæ Dux Bertuccius Valerius clariſſima, & celeberrima de Turcica claſſe ad fauces Helleſponti, & in ipſius Byzantij conſpectu Victoria ſub ſui Principatus auſpicijs reportata, & Tenedo, Lemnoquè Inſulis ſtrenuè, generoſequè in poteſtatem redactis, Sanctiſſimo D. N. Alexandro VII. velut altero Moyſe manus ſupplices ad cœlum tendente, ſuiſque conſilijs, & opibus eum indefeſsè adiuuante, plurimum etiam incrementi, atque ornamenti ſe collaturum pollicetur.

Cæte-

Cæremoniæ Antiquæ Baptiſmi, quæ inter duo Corollariæ collocari debuerant.

ANte Baptiſmum duodecim olim obſeruabantur ſolemnia.

I. Catechumeni dabant nomen ſuum,& tūc ex Audientibus fiebant, & dicebantur Competentes.

II. Scrutinia VII. præmittebantur, quibus exploraretur,an firmiter & ſincerè crederent.

III. Abrenuntiabant Sathanæ.

IV. Fidem profitebantur.

V. Signum Crucis in fronte, & pectore efformabant.

VI. Exorciſabantur, ſiue adiurabantur Dæmones, vt recederent ab illis.

VII. Exſufflabantur Baptizandi.

VIII. Guſtabant ſalem.

IX. Tangebantur ſaliua eorum nares, & aures.

X. Imponebant illis manus, & Benedicebāt Sacerdotes.

XI. Oleo Benedicto Baptizandi vngebantur in capite, & ſcapulis.

XII. Abſtinebant vino, carnibus,& re vxoria.

Obſeruabatur præterea lotio pedum in Cœna Dominica, & Capitilauium, vt ex SS. Ambroſio, & Auguſtino, Iſidoro, & Alcuino tradit Ferdinandus Mendoza lib. III. de Concilio Illiberitano.

In Baptiſmo quinque obſeruabantur.

I. Imponebant nomen.

II. Suſceptor adhibebatur, qui leuabat ſacro de fonte.

III. Conſecrabatur aqua.

IV. Ter mergebantur, vel ſemel.

V. Tempore Paſchatis, vel Pentecoſtes.

Poſt Baptiſmum alia quinque.

I. Oſculum pacis interueniebat.

II. Vngebantur chriſmate in vertice.

III. Cereum accenſum geſtabant.

IV. Veſtem candidam induebant.

V. Delibabant lac, & mel, ſeu vinum.

Fusè recenſet hæc omnia Cardinalis Bellarminus Tomo II. Controuerſ. lib. I. de Sacram. Baptiſm. c. XXXV. XXXVI. XXXVII.

FINIS,

AVGVSTINI VALERII S. R. E. CARDINALIS VERONENSIS EPISCOPI

De Benedictione AGNORVM DEI à Gregorio XIV. Summo Pontifice, Anno ſalutis 1591. Primo ſui Pontificatus peracta.

GRauiſſima eſt illa ſententia, & Gregorio Primo Summo Pontifice digna. Dona potiùs ſunt quā flagella, dolores, quibus delicta purgamus; & dolores in hoc ipſo ſolùm vehementer placent, quia placere in hoc mundo aliquid non permittunt. Quam nos ſententiam explicare vberius poſſumus hunc in modum, quia patientiam alunt, quia æternæ vitæ deſiderium excitant, quia tyrannidē corporis deprimunt, quia à lethalibus peccatis præſeruāt, quia corporis imbecillitatem acuentes ad implorandum Diuinum auxilium, ad agnoſcendam Dei prouidentiam, mortaliū mentes erudiunt, illecebras voluptatum reſpuentes Redemptori noſtro Chriſto, qui acerbiſſimos dolores pro peccatis noſtris pertulit, qui lāguo-

res noſtros languoribus ſuis ſanauit, compatientes efficiunt. in doloribus maximis, cruciatibus potius acerbiſſimis lætantes inclyti Martyres Dei, Imperatoris Chriſti ſtrenui milites Beatiſſimi Patris Gregorij piam ſententiam veram eſſe oſtenderunt. Quam vſurpas tu ſæpè Gregori Decimequarte; vſurpaſti proximis Conciſtorijs, cum multos dies ab initio Pontificatus tui aduerſa valitudine, febri etiam varijs cum doloribus, magno cum Sacri Collegij, & totius Vrbis mœrore laboraueris. Hæc verba tantùm prædeceſſoris tui Sãctiſſimi Patris, cuius nomen refers, cuius ſanctiſſimam vitam tibi imitandã propoſuiſti, in cuius imagine ſæpè conſpicienda in tuo cubiculo delectaris, cum voluptate ſæpè commemoras; ſed conſtantia animi, crebra inuocatione Nominis Dei, intima etiam cordis, quod mirabile eſt, hilaritate, quam indicas ſæpè oculis, eamdem, quam commemoraui, ſententiam probas. Accipis enim tu à rerum omnium moderatore Deo, à clementiſſimo Patre noſtro, qui paterno amore orbis terræ rempublicam gubernat, & Principum, Regum, Pontificum in primis Summorum, qui eius vicem gerunt in terris, animos moderatur, dolores tamquam dona; ad altiſſimã illam Sedem euectus moderationem retines animi, & egregiã potius virtutum

tutum omnium Eccleſiaſticarũ matrem, & altricem humilitatẽ. legeram ipſe ſuperioribus diebus Sanctiſſimi Patris Gregorij vitam à Ioanne Diacono ſcriptã, de eius corporis imbecillitate, & grauiſſima ægritudine hæc collegeram. Scribit ipſe Italicæ Patriciæ hæc verba. [Ecce iam vndecim menſes ſunt, quod valde rarum eſt, ſi de lecto ſurgere aliquando potui: tantis enim podagræ doloribus, tantiſque moleſtiarum premor ángoribus, vt vita mea mihi grauiſſima prœna ſit: quotidie enim in dolore deficio, & mortis remedium expectando ſuſpiro.] Et Eulogio Patriarchæ Alexandrino: [Ecce enim iam biennium penè expletur, quo lectulo teneor, tantiſque podagræ doloribus affligor, vt vix in diebus feſtis vſque ad horarum trium ſpatium ſurgere valeã Miſſarũ ſolemnia celebraturus; mox autem cũ graui depellor dolore decumbere, vt cruciatũ meum non poſſim gemitu interrumpente tolerare; qui dolor interdum mihi lentus eſt, interdum nimius, ſed neque ita lentus, vt recedat, neque ita nimius, vt interficiat; vnde fiit, vt qui quotidie in morte ſum, repellar à morte; nec mirum, quia peccati grauis tabe, corruptionis carcere diu teneor incluſus, vnde cõpellor exclamare, educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo Domine

rogo,

rogo, vt pro me peccatore enixiùs oretis, quia & dolor corporis, & amaritudo cordis, & immenſa vaſtitas mortalitatis inter tot barbarorum gladios me vehementer affligit; inter quę omnia non temporalem, ſed æternam conſolationem requiro, quam per me impetrare nõ valeo; ſed per interceſſionem Veſtræ Beatitudinis, hanc me obtinere cõfido.] Et in epiſtola ad Maximianum Epiſcopum Arabiæ, hæc verba leguntur: [Multum enim iam tempus eſt, quod ſurgere de lecto non valeo; nam me modò podagræ dolor cruciat, modo neſcio quis in toto corpore ſe ignis cum dolore expandit, & fit plerumque, vt vno in me tempore ardor cũ dolore confligat, & corpus in me, animuſquè deficiat: breuiter dico, quia ſicme infectio noxij humoris imbibit, vt viuere mihi pœna ſit, & mortem deſideranter expectem, quam gemitibus meis ſolam, eſſe credo remedium; proinde (frater Sanctiſſime) diuinę pro me pietatis miſericordiam deprecare, vt percuſſionis ſuæ erga me flagella propitius mitiget, & patientiam tolerandi concedat; ne nimio (quod abſit) tædio in impatientiam cor erumpat, vt quæ curari per plagam poterat culpa, creſcat ex murmure.] Et ad Ruſticianam Patriciam eadem de re hunc in modum ſcribit: [me (quẽ qualis fuerim noſti) ita amaritudo animi, &

aſſidua

aſſidua exacerbatio, atque per hoc podagræ moleſtia affecit, vt corpus meum tamquam in ſepulturam ſiccatus ſit; vnde fit, vt iam raró de lecto ſurgere valeam.] Et hic Pontifex ægritudine corporis afflictus egregia volumina conſcripſit, quibus erudiuit Eccleſiam, innumerabiles epiſtolas pro Eccleſiæ neceſſitate dictauit, eximiam pauperum curam habuit, paſtoralium virtutum præclariſſima exempla, & ſcriptis, & rebus geſtis reliquit, conſtantiam animi, & hilaritatem quãdam ab optima conſcientia enutritam in rebus tractandis, vbi aliquantulum intermittebantur dolores, præſeferens. Tu Decimequarte Gregori Primi Gregorij imitatorem proximis diebus te oſtẽdiſti, cum corpore valde debilitatus, & maximis doloribus afflictus, tibi ipſi addideris animum, feria quinta ſacræ hebdomadæ, ſanctiſſimo item die Paſchatis, etiam pręter medicorũ voluntatem e lecto ſurgere, & Populum tuũ, Vrbẽquè Romam Benedicere infirmo corpore, & voce nõ ſatis valida cum lachrymis volueris, admirabili pietate tua incredibilem in omnibus, qui oculos in te coniecerãt, deuotionem excitans.

Adiecisti etiam animum, vim corpori tuo faciens, diuino, vt omnes putamus adiutus ſpiritu, ad Agnorum Dei Benedictionem, quã primo ſui Pontificatus anno Romani ſinguli

Ponti-

Pontifices Populum Dei recreare, & ad pietatem excitare conſueuerunt. Veſte tu candida, ſereno vultu, oculis ſuam lætitiam præſeferentibus te adeuntibus præbuiſti; Cardinales omnes, quos mira benignitate, & paterno amore complecteris, quatuor dierum ſpatio ad ſacrã illam functionem inuitaſti; qui Agnos Dei cereos mirabili artificio ad inducẽdam deuotionem effictos aqua Benedicta ſacro permiſta Chriſmate tecum abluerent, tum conuiuio perhumaniter excepiſti. Vocatus ipſe ſui ſecundo die, qui fuit decimusoctauus Aprilis; ſedebas tu Pontifex Summus Chriſti Vicarius ad paruam quamdam menſam tibi paratam; erat alia menſa tua proxima, contigua potius, in qua duodecim ſedebamus Cardinales, ex ordine Epiſcoporũ quatuor, Geſualdus Decanus, Columna Senior, Comenſis, & Alexandrinus; Presbyteri, Senonenſis, Ruſticucius, Deza, Saluiatus, Lancellottus, Diaconi erant, Pepolus, & Aquauiua, ipſe etiam eram inter Presbyteros Cardinales, perpetua lectione, & illa quidem vtili, ac iucunda conditæ ſunt, vt maximè conuenit Pontificijs menſis, epulæ; Tu quidem, vt humanitatem tuam etiam in prandio oſtenderes, cum ſingulis Cardinalibus amanter, paternè potiùs, partiebaris, mittebas ad ſingulos munuſculum aliquod. Cum vero

qui

qui Pontificio huic prandio interſuerunt Principes viri non pauci, & omnes, qui tibi miniſtrabant, diſceſſiſſent, coniectis tu in omnes oculis, ſermonum plurimorum ad vtilitatem Eccleſiæ pertinentium, interrogationibus quibuſdam admirabili lepore conditis materiam præbuiſti, inter quos fuerunt hi præcipui, vt Præfecti Congregationum trium, in quibus de rebus grauiſſimis agitur, de Congregationibus ſuis referrent, Cardinalis Geſualdus Decanus, qui Congregationi Sacrorum Rituum, quam tu etiam dum eſſes Cardinalis amabas, præeſt, mortem Curtij Franci optimi Sacerdotis in Eccleſiaſtica diſciplina egregiè verſati, viri amore in pauperes, & perpetua lucrandarum animarum Chriſto ſolicitudine memorabilis, & Iudaicæ perfidiæ ſi quis alius hac tempeſtate fuit, hoſtis acerrimi deplorauit; quam tu etiam (Pater Beatiſſime) dolendam putaſti; addidiſti, vt oſtenderes quanti faceres Curtium eius conſanguineum, & virtutum imitatorem Canonicum Baſilicæ Vaticanæ, eius in locum te ſubſtituiſſe, exemplo optimo, vt intelligerent homines virtuti etiam poſt mortem ſuum eſſe paratum prẹmium, cum maneant prẹmia illis, qui bonis, & pijs viris ſanguine coniuncti sũt. Et de Beato Hiacyntho, quem breui temporis ſpatio, ſicut ſperamus, Sanctitas Veſtra

propter

propter excellentem eius humilitatem, perpetuum orationis ſtudium, corporis caſtigationẽ, & plurima edita miracula, in Sanctorum numerum rediget, aptè & prudenter retulit. Et à Cardinale Columna aliqua ad Congregationem Indicis pertinentia dicta ſunt; & ſermo habitus de adſcribendis in Conſilium Academiarum celeberrimarum Theologis, vt ſacrorum Bibliorum editio prodeat, Cardinalis Senonenſis de Volumine Gregoriano, de quo edendo nunc agitur non pauca in medium attulit, quæ in Concilio Tridentino tradita ſunt, quæ in eiuſdem Congregatione multis conſultationibus ſunt decreta, conſtitutiones itidem omnes, quæ à proximis Pontificibus ſunt editæ, digeri in hoc Volumine, opus admodũ vtile futurum de Agnorum Dei Benedictione, de Pontificum conſuetudine in illis diſtribuendis dixerat Cardinalis Comenſis quædã, quæ obſeruauerat e ſeptem Pontificum Benedictionibus, quibus ſe interfuiſſe dicebat. Et Alexandrinus etiam quædam in eamdem ſententiam dixerat. Excitabas omnes humaniter (Sanctiſſime Pater) à prandio ad dicendum aliquid. Nemo adfuit in eo conuiuio, qui in medium aliquid non attulerit dignum Cardinale. Bonus vir ſenex Deza, quamquam grauia, & vtilia dicat, ita tamen hilaritate quadam vul-

tus

tus condit, quæ proferat, vt voluptatem afferat omnibus audientibus, & ſanctitatem etiam tuam exhilaret. Cum autem Cardinalis Ruſticucius, Saluiatus, & Lancellottus dicerent, & ipſi aliquid accommodatum tempori pro ſua prudentia, ipſe ſolus inter Epiſcopos, & Sacerdotes tacebam. Admirabar ego benignitatem Summi Pontificis, lætabar expectatione rerum optimarum, quas Præfecti Congregationum pollicebantur; delectabar varietate ſermonum, quos prudentiſſimi, & grauiſſimi viri habuerunt; ſed in primis interrogationibus, quas tu (Beatiſſime Pater) inſerueras: cum autem ſilerem ipſe adhuc, arbitror ego, vt me ſuauiter ad dicendum aliquid prouocares, hæc verba humaniter admodum protuliſti. Noſter Cardinalis Veronenſis ſcriptis, hunc diem Benedictionis Agnorum Dei exprimet ſuo ſtilo. Et vt maius humanitatis tuæ indicium dares octo inſeruiſti hæc ſubridens. Cardinalis oportet fateatur in ſua ſcriptione ſe hodie in ablutione Agnorum Dei opus miniſterij ſui ſegniter feciſſe. Ad priorem partem ſermonis tui nihil reſpondendum duxi, poſteriorem non negaui, confirmaui potius. Ad priorem partem non reſponderam, quia vt optimè perſpexeram (Sanctiſſime Pater) quid mihi eſſet faciendũ: Num Platonem, aut Xenophon-

tem

tem imitatus conuiuiũ deſcriberem Pontificis Summi cum Cardinalibus Duodecim? Loquẽtes facerem illos Præfectos Congregationum de rebus vtilibus ad Eccleſiaſticam diſciplinã pertinentibus? Interrogationes opportunas, & graues insererem? Laudabilem illum morem verbis extollerem, quem adhibendum in toto conuiuio cenſes, vt ſummorum Scriptorum lectione condiatur, aut ex S. Bernardi libris quinque de Conſideratione, aut e B. Chryſoſtomi Dialogo de Sacerdotio ſex libris diſtincto, vel de S.Gregorij Nazianzeni Apologetico, vel demum ex Paſtorali Beatiſſimi Patris Gregorij, & huiuſmodi lectionibus: menſa vicarij Chriſti dignis epulis ſpiritualibus, ac ſalutaribus Summi Pontificis animus, & conuiuarum omnium Cardinalium recreari maximè poſſit? Nam de Agnorum Dei Benedictione, de antiquo ritu Eccleſiæ, à quo Pontifice manauit, quanta in veneratione habiti ſint Agni Dei à Pontificibus Benedicti, quantam vim habeant ad varias calamitates auertendas, quid candor ille, quid imago illa Chriſti, quid crux, quid variæ figuræ in cera expreſſæ ſignificent, pij viri, eruditi homines in Eccleſiaſtica Hiſtoria verſati collegerunt, & libris etiam ſuis, monumentis literarum conſignarunt. Multa etiam ex precibus illis, quas de

more

more Chriſti Vicarius in Agnorum Dei Benedictione, Sanctæ Matris Eccleſiæ præſcripto profert, ad totam hāc rem percipiendam pertinentia colligi poſſunt, quæ cum diligenter conſiderarem, loquebar ita mecum, Repetam ipſe, quod alij adhibita diligentia non minima cum laude tractarunt? Scriptorem me profitebor eſſe earum rerum, in qunrum cognitione mediocriter ſum verſatus? Verè dicā (Sanctiſſime Pater) à tractando huiuſmodi argumēto, à ſcribendo de Benedictione Agnorum Dei deterrebar; ſed moleſtum admodum erat Pontifici Summo non obtemperare, Gregorio XIV. (quem quadraginta ab hincannis Abbatem primò Patauij, aliquot deinde poſt annos, Epiſcopum Cremonæ, proximis annis Cardinalem eodem ipſo die, quo ego) creatum ob ſuauiſſimos mores, & egregias virtutes amaui, & obſeruaui plurimum, nunc verò non mediocribus beneficijs affectus Pontificem Summum veneror, aliquid denegare. Vocem illam tuam, humaniſſima illa verba, quibus in Conuiuio, duodecim, quos nominaui Cardinalibus cōuiuis, me ad huiuſmodi ſcriptionem incitaſti; vocem, ipſe Dei exiſtimaui, afflatum Spiritus Sancti, vt de Benedictionibus Agnorum Dei hiſtorico more non ſcriberem, ſed Benedictionem eorūdem Agnorum Dei à te

Gre-

Gregorio XIV. decimo octauo die Aprilis, Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo factam meditans, quædam colligerem, quæ ad alendam in Sacro Collegio, & in omnibus Eccleſijs ordinibus deuotionem, & vniuerſum populum Dei ad veram pietatem excitandum pertineant; non inutile opus, intuendum potius pijs mentibus, nec quod ipſe ſciam copiosè ab alijs tractatum. Gratæ tibi erunt (vt ſpero Sanctiſſime Pater) huiuſmodi meditationes meæ, quia vir meditationibus deditus, conatibus meis, & ſcriptionibus pro tuo in me amore delectari es ſolitus. Probatur in hac Agnorum Dei Benedictione, quod plures hoc anno, quam ab vllo vnquam Pontifice antea ſint Benedicti: non enim illorum mihi probatur ſententia, qui dicunt copiam, cõtemptum, & faſtidium parere, rara omnia eſſe pretioſa; tres tantũ Agnos Dei ab Vrbano V. Conſtantinopolitano Imperatori eſſe miſſos cũ carminibus quibuſdam; atque vnum ſolum à Leone Tertio Carolo Magno. Illis temporibus raritatem illam deuotionem aluiſſe, & muneris præſtãtiam indicaſſe crediderimus. Verùm cum Agnorum Dei virtus innotuerit magis, & eorumdem in pijs hominibus creuerit deſiderium; piè, & prudenter admodùm à Chriſti Vicarijs à Romanis Põtificibus à Chriſtiani

ni Populi patribus factum eſt, vt rem pretioſam Sancta Matris Eccleſiæ precibus, ita Spiritu Sācto edocente, munitam communicarent; Quæ autem de ſacris ritibus, & cæremonijs in vniuerſum ſcripta ſunt, nimirum eſſe vtiles, & partes quaſdam diuini cultus; quia vt ab interiore deuotiune oriuntur; ita eamdem deuotionem, & pietatem alunt; conferre plurimum ad memoriam conſeruandam illuſtrium, & maximorum beneficiorum, quæ à Deo accepimus, nempè Natiuitatis, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Miſſionis Sancti Spiritus, quæ beneficia in ſanctis ſolemnitatibus, ſacris, & ſolemnibus ritibus ſingulis ānis Eccleſia repreſentat; exercere ſacras illas cæremonias fidem noſtram, cum ſigno Crucis veluti clypeo armemur, & aqua Benedicta contra varias Satanæ inſidias, conſeruare etiam religionem; efficiunt enim maxime ne vileſcat, imò vt propagetur potius & in vniuerſum, vt ſacri ritus; & cæremoniæ augeant cultum erga Deum, qui exhibendus eſt non ſolùm animo, hoc eſt fide, ſpe, & charitate, verum etiam cum animo, & corpore conſtemus, ipſo corpore, eleuatione ſcilicet oculorum in Cœlum, genuflexionibus, ſuſpirijs, & ſignificationibus huiuſmodi. Hæc omnia accommodari poſſunt maximè ad Benedictionem Agnorum Dei;

M quan-

quandoquidem ſacro hoc ritu, inſigni hac cæremonia Sancta Mater Eccleſia Spiritu Sancto edocta deuotionem nutrit, & auget precibus ad Deum fuſis, memoriam renouat redemptionis Agni immaculati effigie Crucis, alijſque myſterijs in cera effictis.

Exercet hic ipſe ritus fidem, cum Agnus ille immaculatus cernitur, cum admirabile redemptionis myſterium in Agni forma conſideratur, cum vim maximam, quam habuerunt hi Agni Dei ad expellendas incurſiones Dæmonum, & ad calamitates varias auertendas pij homines conſiderant; & ad pietatem in Deum excolendam, & augendam proſunt valde huiuſmodi Agni, qui ante pectus deferuntur, ita vt qui illos cum fiducia deferunt, & ſibi ipſi obicem non afferunt, tentationes Sathanæ ſe facilè ſuperaturos ſub illo vexillo poſſint ſperare; interiorem etiam librum ſecum habeant ſemper, in quo res altiſſimas contēplari queant, & maxima documenta ad hanc vitam noſtram ærumnis plurimis plenam feliciter traducendam.

Magiſtra optima, Sanctiſſime Pater, etiam pia Mater Populi Chriſtiani eſt vniuerſalis Eccleſia, cuius Sponſus eſt Rex noſter Chriſtus, qui te hoc tempore in Terris Vicarium conſtituit: varijs, & admirandis modis inuictiſſimus,

mus, & benigniſsimus Rex Sponſæ contulit ſuæ Sanctiſſimis Sacramentis, remedijs humanarum omnium calamitatum, & inſtrumentis ſalutis noſtræ, teſtimonijs perpetuis diuinæ beneficientiæ, & eximiæ charitatis ſuæ in nos; Tribunal illud excelſum, & ſalutare in tot Tribunalia diuiſum, Tribunal inquam ſacræ Pœnitentiæ, quod ad vſum Eccleſiæ, & Populi Chriſtiani erexit Chriſtus; cum poteſtatem dedit Sacerdotibus dimittendi peccata rite illa confitentibus; Angelicus item ille panis, cibus cæleſtis, Ambroſia illa, panis vitæ, ſacramenta ſacramentorum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ (vt cætera ſacramenta eximiæ eius bonitatis teſtimonia prætereã) ſummam Regis noſtri benignitatem, & immenſam charitatem teſtantur. Eiuſdem charitatis Sponſa Chriſti Mater noſtra à Spiritu Sancto inſtructa Eccleſia Catholica Romana eodem ſalutis humanæ deſiderio incenſa, rationibus varijs Populũ Dei erudire, ad pietatem excitare, ad diuina beneficia cogitanda accendere, ſalutares meditationes proponere, vt fugiantut peccata, vt remoueatur iniquitas, nunquam deſtitit. Natiuitatem B.Marię Virginis Matris Dei aduocatæ noſtræ Reginæ Cælorum commemorat, vt ad venerandam Matrem Dei, Matrem noſtram, ad eiuſque auxiliũ nobis in hac valle

a crymarum neceſſarium implorandum excitemur. Celebrat Natiuitatem Filij Dei Regis noſtri Ieſu Chriſti, à quo nomen ducimus, Regis pacifici, per quem Deo reconciliati ſumus, per quem mors deuicta eſt, & Sathanas debellatus, portæ Cæli nobis apertæ ſunt. Item Paſſionem, & Mortem, per quam à peccatis liberati, & credentes, ac operibus noſtris fidem comprobantes iuſti effecti ſumus, varijs ſepulcris, vt ſepulta eſſe peccata hominum oſtendat. Reſurrectionem itidem eiuſdem Regis noſtri celebrat, vt reſurrecturos omnes, qui Chriſto cōmortui ſint à peccatis, demonſtret; Aſcenſionis ſolemnitatem proponit, vt iter ad Cœlum nobis apertum eſſe declaret, ſolemnitatem itidem, omnium veluti terminum, Miſſionem Spiritus Sancti Sanctiſſimo Pentecoſtes die, vt in huius vitæ periculoſo certamine, & in huius peregrinationis tenebris conſolatorem, & magiſtrum habeamus Mater noſtra lætabunda filijs ſuis exhibet. Feria, quarta Cinerum, ne veluti hæretici mortis obliuiſcamur proferri vult Magiſtra optima Mater noſtra per miniſtros ſuos, per Dei etiam Vicarium hic Romæ illa verba: Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris; & in die primo magnæ, & ſanctæ hebdomadæ, qui Palmarum dies nominatur, Benedictione Palmarum

memo-

memoriam ingreſſus Regis noſtri in Hieruſalem renouat ſapientiſſima Magiſtra noſtra Sãcta Mater Eccleſia, vt voluntariam fuiſſe mortem Chriſti indicet, inconſtantiam popularis auræ oſtendat, cum ab eodem Populo, à quo magnis laudibus fuerat celebratus Dei Filius, paucos poſt dies fuerit crucifixus. Illa ipſa Benedictione Palmarum, illis ipſis ramis oliuarum ad excipiendum Chriſtum ſedula, & benigna Mater inuitat Eccleſia; vt bis, feria nimirum quinta magnæ hebdomadis, & die ſacratiſſimo Corporis Chriſti dicati ſolemni, proceſſione ad adorandum Sanctiſſimum Corpus Chriſti, excellenti, & diuino beneficio nobis relictum, proponit, vt vtroque die tanti, tamque excellentis beneficij memoria in animis fidelium inſculpatur; lotione etiam pedũ ad humilitatem informat, exemplo Chriſti Sãcta Mater Eccleſia, & tolerantiam in animis noſtris imprimit, vt alter alterius onera portemus. Et dies omnes Feſti Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, & Virginum, Doctorum itidem Eccleſiæ, ſolemnitatum inprimis ſanctiſſimæ Matris noſtræ, excitationes quædam ſunt ad verum cultum Dei. Iuuat infirmos filiorum ſuorum animos ſolers Magiſtra rationibus varijs, quas attigi, Sanctiſſime Pater, iuuat pictura, iuuat ſculptura, iuuat ſacris ima-

ginibus, iuuat Sanctiſſimæ Crucis ſignis, Benedictione Epiſcoporum, tua in primis, qui es Epiſcopus Epiſcoporum, Chriſti Vicarius, & ſucceſſor Petri, iuuat aquæ Benedictione, contulit etiam mirabiliter ſanctis Indulgentijs e thesauro Eccleſiæ per te Patrem Populi Dei, ſupremum Paſtorem diſtributis. Pari ratione (ne omnia perſtringam, quibus diuinitas erudita Magiſtra inſtruit filios Dei) Agnorum Benedictione, idque vetere inſtituto, temporibus etiam Zoſimi Pontificis, vt multorum traditionibus, & libris colligere potuimus; qua Benedictione ſapientiſſimè eadem Mater pios viros ad hæc meditanda videtur accendere, & hunc in modum alloqui illos, quibus contigit Vicarij Chriſti beneficio Agnum Dei ad collum deferre, vt Sanctus ſcribit Apoſtolus ad Timotheum, Memor eſto Dominum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, ita tu fili memor eſto te Agni immaculati ſanguine redemptum eſſe. Et quia, Beatiſſime Pater, in iſta tua Benedictione nouo, ſancto, & laudabili inuento, non ſolum Crux Chriſti in cera efficta eſt, & Agni immaculati forma; ſed in quibuſdam alijs memorabilis illa oblatio Abrahæ; quæ omnia pertinent ad commendandam obedientiam, & ad ſacrificium Chriſti pro peccatis noſtris oblati in animis noſtris

magis

magis imprimendum: quæ ſacrificia ita effe-cta cum cernimus oculis, illæ grauiſſimæ ſen-tentiæ nobis in memoriam redeunt; Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius, & non pe-perciſti Filio tuo vnigenito propter me; quæ verba meditantes ad faciendam oblationem animæ noſtræ, atque etiam cogitationum, & ad ſacrificandam voluntatem noſtram Deo Al-tiſſimo inducimur, & etiam Noe ſacrificantem poſt diluuium, & clementiſſimum Patrem Deum promittentem ſe vltra non maledictu-rum terræ meditamur, Filium Dei Regem pa-cificum Chriſtum agnoſcimus, & militare nos ſub tanto Rege, qui nunquam non vincit, mi-randum in modum, ſi ſapimus, lætamur. Cum autem Agnos Dei candidiſſima ceɹa efficios in aqua à te Benedicta à religioſis viris nobis delatos de more ablueremus, & videremus Agnum paſchalem, qui ab Hebræis comede-batur, dum ab Aegypto diſcederent, cum illis verbis. *In vna domo comedetur*, quod nihil indicat aliud quam columnã, & firmamentum veritatis eſſe Sanctam Romanam Eccleſiam hanc eſſe Sedem Petri, hanc Magiſtram eſſe veritatis, illum, qui hanc non agnoſcit matrẽ, non poſſe verè appellare Deum Patrem, eum, qui extra Eccleſiam viuit, eſſe profanum; mi-rabamur nos Cardinales, qui eadem in pelui,

multo ſegnius ipſe, quam ceteri, abluebamus, varietatem, & pulchritudinem formarum. Erat in quibuſdam (Gregori) effigta imago tua ad pedes Crucifixi, & videbaris commendare Regi redemptori noſtro gregẽ tuæ fidei traditum, & in quibuſdam alijs erat imago Chriſti ſuas tibi commendantis oues, dicentis, paſce Agnos meos, paſce Oues meas. Ita ex varijs formis meditationes plurimæ, & illæ quidem ſalutares elici poſſunt, vt quædam ſunt iaculatoriæ orationes, quæ magnam vim habent ad implorandum auxilium Dei, quemadmodum illę, quæ pauciſſimis verbis exprimũtur, Domine miſerere, Deus adiuua me, Dominus meus, & Deus meus, Deus in adiutorium meum intende, & perbreues etiam petiones commemorantur, vt illa. Domine, vt videam, & nouerim me, nouerim te, & aliæ quamplurimæ. Ita ſingulis illis, qui Agnos Dei ad collum deferunt, ſummo mane oculis in illos defixis ſingulis diebus licebit commemorare, & meditari illa verba: Miſit Dominus redemptionem populo ſuo; Redemiſti nos Deus veritatis, & in huiuſmodi meditatione perſiſtenti licebit addere, tanto pretio redemptus ſanguine immaculati agni, peccati denuò ſeruus efficiar, fiam transfuga, ingratus ero, Rege Chriſto relicto ſubdar Sathanæ? Immaculati Agni puriſ-

ſimos

ſimos mores deferens, humilitatem, & manſuetudinem negligens, huius ſæculi tenebras ſequens, me ipſum, & alios fallam, pernicioſæ prudentiæ regulis me ipſum commaculem! Paucis complectar multa (Sāctiſſime Pater) cerea hæc candida Agni Dei effigies figuris plurimis hoc anno expreſſa, pietatis, deuotionis, humilitatis, manſuetudinis exempla oſtendit; maximorum, quæ in nos clementiſſimus pater Deus contulit, beneficiorum memoriam continet ampliſſimam, meditationis materiam exhibet, conſolationem magnam populo Dei affert. Vicarios Chriſti ad munus ſuum cogitādum, & agendum, nos Cardinales, Epiſcopos, & omnes Eccleſiaſticos ordines ad officium noſtrum præſtandum incitat, vniuerſos, & ſingulos fideles illos deuotè meditātes recreat, telum eſt quoddam aduerſus malignos ſpiritus; incendia interdum extinguit, inundationes fluminum cohibet, vim tempeſtatum, & grandinum nonnunquam impedit; ſi fide viua in Chriſtum, & nihil hęſitantes ſacratiſſimo, & ſaluberrimo hoc remedio mortales vtātur: O Pater ſanctiſſime, ò Pontifex dolorum, ò vir Dei, & ſanctorum deſideriorum, copioſa iſta tua Agnorum Dei Benedictione, tam infirmo corpore quotidianis doloribus confecto, tam ſereno animo, & hilari vultu nobis cum

Car-

Cardinalibus,quos paterno amore complecteris, facta,conſolatus es Vrbem modis varijs afflictam inſolita,& miſerabili annonæ caritate, & inopia,facinoroſorum itidem hominum flagitijs,non procul ab Vrbe, incommoda plurima ei afferentibus; inteſtinis etiam bellis, & ciuilibus diſcordijs, quietem ampliſſimi Regni Galliæ magno cum tuo, & Vrbis dolore perturbãtibus, Hæreticis in primis in ſua perfidia perſiſtentibus, & ſcelera plurima aduerſus Catholicam fidem molientibus,nos etiam Cardinales recreaſti. Me vero, quem quadraginta ab hinc annis diligis,qui pro tua bonitate amoris in me tui ſemina Patauij iacta, & in omni noſtra vita rationibus varijs exculta,adhuc excolere pro tua benignitate non deſinis,præcipui cuiuſdam in me amoris illuſtriora oſtendis indicia; die etiam Sabbati in Albis vocari iuſſiſti, vt bis in prandio,tuo aſpectu fruerer,& ſanctiſſimis ſermonibus tuis. Miniſterio etiam in abluendis cereis aquis minus ſegniter, quã priore die feceram, defungerer. Erat in eadem Menſa, in qua vndecim eramus Cardinales tuæ proxima, Albertus Baduarius eques Reipublicæ Venetæ Legatus, quem hac ipſa participatione conuiuij, ac magna ſignificatione honoris,Reipublicæ Venetæ cauſſa non minus etiam ob eius egregias virtutes ornan-

dum

dum cenſuiſti; qui illius diei memoriam iucundam, & honorificam ſemper putabit.

Benedictionem iſtam tuam (Gregori) primo anno tui Pontificatus, anno memorabili, anno difficillimo, anno quo modis varijs Cœli, ac terrę Chriſtus Deus Vrbem Romam viſitat, inter multos dolores factam, nobis Cardinalibus Eccleſiæ Sanctæ inſtitutum ſequentibus, & opus conficiendorum Agnorum Dei adiuuantibus, humanitatem, prudentiam, & alias virtutes tuas in conuiuio in ſermonibus tuis agnoſcentibus, de Cœlo confirmet bonorum omnium, & cunctarum Benedictionum auctor Deus. Agni ceræ plurimi, quos magna deuotione adhibita emiſſis etiam interdum lacrymis Benedixiſti, ſpiritum pietatis in Regibus, & in Principibus conſeruent, & augeant, in nobis Cardinalibus, Epiſcopis, & omnibus Eccleſiaſticis viris deuotionem in dies maiorem excitent, excitentur omnes, in quorum manus tuo beneficio peruenerint, ad meditandum diuinum beneficium maximum illud in primis redemptionis humanæ, habeant hi, vt aliquãdo habuerũt, vim ad acertẽdas calamitates ab Vrbe, & à populo Dei, amouendas, vt vnum ex illis à Pio Quinto ſanctæ memoriæ Benedictis habuiſſe memini Veronæ anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo,

quo

quo anno inundantem Atheſim totam Vrbem proiecto, à me Epiſcopo, Agno Dei in fluuium diuino beneficio obſeruatum eſt cœpiſſe decreſcere. Quid egi Beatiſſime Pater! libellum ſatis longum paucorum dierum ſpatio ad Pontificem ſummum ſcripſi, nihil dignum lectione Vicarij Chriſti, nihil reconditum, nihil preclarum, nihil fortaſſe niſi communia, & omnibus nota excogitare potui de tua iſta Agnorum Dei Benedictione; obſequutus ſum tamē voluntati Pontificis ſummi, quem venerari, cui parere vniuerſus debet Chriſtianus populus, in quem Cardinalium ſingulorum perpetua extare debent obſequia. Nullam ego ex hac mea lucubratiuncula, vel minimam laudē quæro; Gregorio XIV. Chriſti Vicario de me optime merito Pontifici obſequutum eſſe ſit ſatis; ſi quid à me in huiuſmodi ſcriptione laboratum eſt, ſatis ampla merces laboris mei ſit voluptas, quam ſcribendo, & obtemperando percepi. Tria extabunt opuſcula mea: vnum ad Cardinalem Cremonenſem, de Paſtoralium tentationum remedijs inueſtigandis, cui antequam reſponderet ad altiſſimam iſtam Pontificatus Sedem eſt euectus, ſecundum inſcriptū eſt: Conſolatio ad Gregorium XIV. quandoquidem eius Pontificatus primitiæ fuerunt lacrymæ; hoc tertium tuo, vt cætera, iuſſu conſcri-

ſcriptum de Agnorum Dei Benedictione; quam proximis diebus feciſti. Hæc opuſcula non ſatis digna, quæ à doctis viris legantur, magno tamen amoris, & pietatis affectu conſcripta vnum in librum collecta, erunt omnibus, qui in familia mea naſcentur, veteris, & ſingularis Cardinalis Veronenſis erga Cardinalem Cremonenſem primùm, deinde erga Gregorium XIV. obſeruantiæ perpetuum monimentum.

Laus Deo, Beatiſſimæquè Virg. MARIAE Dei Genitrici, & omnibus Sanctis.

1012178

A pag.41. ad 81. ſupra paginas pro Honuphrij Panuinij Veronenſis leg. Ioſephi Mariæ Suareſij Auenionenſis.
p. 51. Paſchalis,
52. λαθεβιώσας,
53. obſcœna,
  ex aduerſo offerebatur.
54. ea mellis.
58. ſcholacibus pro ſcolacibus.
61. æmula. ſignificant.
63. τάξει.
64. Heſychium;
69. vineis.
83. cœleſtem.
96. Sabbato.
103. in caſto.
104. pro deſcribit, leg. depingit; oſtentauit.
110. cum,
111. plumbeos.
117. ℣ 7. poſt *loquitur*, nec eſt omninò is eius ſenſus.
℣. 15. poſt *Micrologo* c. 56. ſi quidem illius eſt auctor, & Honorio Auguſtodunenſi.
c. 137. ℣. 19. poſt *conſequebatur* quamuis à paucis vſpiam obſeruaretur.
p. 132. vigilandum.
p. 133. Encauſticum.
p. 126. ἐξομολογίας.
p. 141. Martinus la Farina
p. 168. Episcoporum Arabigi
p. 173. ioco.

p. 107 pro virgines Deo devotas, et Moniales S.tae Franciscæ, seu Turris speculi subroga ad Canonicos S.ti Salvatoris Regulares S.ti Augustini, qui regunt S.tae Agnetis Ecclesia